PLORANTIS CROATIÆ SAECULA DVO,

CarMIne DesCrIpta

ab

EQUITE PAVLO RITTER,
S. C. R. Maj. Consiliario.

ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE DOMINO, DOMINO IOANNI FERDINANDO JOSEPHO

SAC: ROM: IMP: COMITI ab HERBERSTEIN, SAC: ORD: MELITEN. EQVITI ET COMMENDATORI, SAC. CAES. REG. MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO ET VICE-PRÆSIDI CONSILII BELLICI INTERIORIS AUSTRIÆ; &c.

EQ. PAV. RITTER,

S. P. D.

Mirabere, proculdubio, Comes Illustrissime, adversas Patriæ meæ fortunas, mœsto gemitu & lacrymis deploratas, à me TIBI nuncupari; Cujus illustre Genus, & ingenuas Virtutes peculiaribus encomiis celebraturus, Tui erga me benevolentiæ, ac mei erga Te observantiæ testimonium quodpiam relinquere debuissem. Fastis ea magis à fœcundioribus hilariorū Musarū geniis imponenda, quàm rudi

rudi Marte lacessenda, fore satiùs arbitratus, honesto silentio (vel hac vice) præteriri. Ad ea me tempora insuperabilium Fatorum ordo relegavit: quibus alterũ Heraclitũ Philosophum aut paritura, aut profectò cõductura fuerat Croatia. Conspectis nam circumquaque tot funestis ejus bustis & ruinis, nec usquam cessantibus externis internisve malis, Alciati monito expergiscor;

Plus solito humanæ nunc defle incommoda vitæ,
Heraclite : scatet pluribus illa malis.

Et verò ad has plorantis Patriæ næenias, mille curis & gravioribus occupationibus deditum, festinè conscribendas, tum ipsa rei gravitas, cùm nativa erga patriã pietas me commoverunt; eo primùm tempore, quo ad Corannæ Valdanique flumina directuræ inter duo Imperia fines Commissioni unà diù interfuissemus. Infelicior ego; quòd anno sequente, ab amne Sana Vyrbasium usq; munitorũ etiam locorum & fœcundissimæ telluris ad hostile imperium cessioni testem egerim. Vidi tunc, &, cùm ante novennium Corbaviæ Licæquæ Provinciarũ susceperam gubernium, per Mediterraneam: annisq; antè aliquot penès Erdœdium quondam Proregem militans, per Interamniam Croatiæ Partes, innumera Castella in apricis collibus, in excelsis rupibus Arces, desolatas: pagos, oppida, urbes, Divorum

ædes

ædes, in opportunis amænisq; locis desertas, eversas: ut herbis vepribusq; & sylvis obtectæ pleræq; vix vestigia, multæ neque nomen hodiè retinuerunt. Adeò Bellorum assiduæ tempestates pluribus jàm sæculis Croatiã depopulabantur; quòd suis vasti agri Colonis, Oppida & Urbes Civibus, Castella Proceribus, Arces Primatibus, Templa Sacerdotibus aut cæsis, mactatis, vel in perpetuam servitutem abactis, aut pulsis fugatisque, miserrimam toti Regioni faciẽ induxerint: non Civibus duntaxat omni ævo plorandam, nec viciniæ compassione tantùm, sed & Orbis Christiani commiseratione dignam. Inde, pristinas Croatiæ calamitates, atque tot plagas atroces contemplanti eò mihi amor pellexit animum: ut, cùm à nullo mortalium recenseri omnia, minùs proprijs affectibus exprimi quirent (nihil enim difficilius est, quàm magno dolori paria verba reperire) perpessa ultimo bissæculo mala, inculto (utì operis materia exigit, & angustia temporis admittebat) versu ploraturã in publicum evocarem; vel hoc longvæi temporis momentum ab indigna oblivione vindicaturus. Quò magìs autem tot adversa fata, tot ærumnosas calamitates ploranti fidem & gratiam apud exteros etiam posterosque conciliẽ TIBI, Eques Religiosissime, nuncupatum iri eam censui: qui

plaga-

plagarum illius & ruinarum, in pluribus Historiarum monumentis antea lectarum, spectator oculatus extitisti. Tum ea quidèm necessitate opellã hanc Tuis Nominibus inscribendam esse deliberavi: ut TE Censore probatior, Tuique præsidio tutior in Mundi conspectũ prodeat; cùm verò & merito haud mediocri, Quòd ab ijs Progenitoribus descendas, quorum eximia in tutandis illius finibus, imò restituendis Partibus, enituit virtus: ut dignè jam olim Pannoniæ totius & Croaciæ Megistanibus in generali Statuũ & Ordinum Conventu publico Decreto annumerati, indelebilem apud rerum patriarum scriptores eudoxiam reliquerunt. Josephus nempè (ut cunctos anteriores venerando silentio prætercam) Patruus Tuus, ejusdem sacri Equestris Ordinis Commendator & Magnus per Ungariã Illyricumq; Magister, Superioris Croatiæ finibus Præfectus Generalis, post egregia terra marique uspiam edita facinora, Likam universam, & Corbaviam (ab hac ipsa vetus Corybantiæ, recensque Croatiæ sive Horvathiæ nomen promanavit) Ditiones præcipuas Regi & Religioni Heros magnanimus restituit. Atque cùm ex iisdem causis, tum nẹ apprimè; Quòd à primà in Castris mei notitia singularem Tui erga me amoris atque benevolentiæ affectum quopiam obser-

vantiæ

vantiæ argumento, vel gratitudinis ergo contester: non ignarus parœmiæ Isocratis; Decere liberos non modo paternarum facultatum, sed & paternorum Amicorum successionem capessere: oppellã hanc Tibi nuncupare probè volui & debui. Spectabilis demum reddetur omnibus mea in luctuoso hoc apparatu, tenuique volumine coarctata plorans Croatia, si gentilitiæ Turri Tuæ intromissa, Regalibus & Imperatoriis protecta virtutibus, pio aureorum Cordium amore foveatur, & Lupina charitate refocilletur: devotumque mei affectum Helcio & cantheriis tuis Tibi ulteriùs mãcipatum effeceris: Tui alioquin veneratorem studiosissimũ. Accipe igitur, Heros Excellentissime, hoc mole quidèm exiguum, sed animi pondere ingens, pignus, benevolo affectu: atque tam in Croatiam à Majoribus Tuis pridèm inchoatum, quàm erga me Tui nuper conceptum amorem generoso pectore nutrire perpetuò non desine: illaque Tibi diu sospiti, salvo & fortunato, unà mecum applaudat, collætetur: DEO Ter Opt. Max. ita propitiante: ut, qui nunc infaustum ploranti statum Croatiæ compateris, melioribus dein fatis beatæ fastos excipias. Vale.

Græcomonti, VI. Id. Jan. 1703.

LE-

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

PLurimas, amice Lector, dolentis Patriæ lacrymas rudi brevique carmine perstringo: quas volumina non caperent. Incultum, rei materia postulabat: multo, plerique fastidiuntur. Neque mihi, super immenso ærumnarum pelago versanti, plùs verborum lepor & dictionis ornatus ad ostentationem, quam impetuosus clamor & inordinatus gemitus ad compassionem conveniebat. Vereor nihilominus, ne & sic judiciis omnium, quàm desideriis minùs fecerim. Velim verò, cùm ingenii mihi graviorem censuram dederis, otiis privatum excusa. Utì enim

Carmina secessum, tempus quoq; & otia quærunt:
Scribenti deerant hæc tria, crede, mihi.

Occurrent insuper in hoc poëmate, Nomina quædam, Latinæ Poëseos & Gramatices regulis non accomodata: ea, nolim, errori aut inadvertentiæ meæ imputes. Genus enim & quantitatem ipsorum juxta vernaculam expressi. Hinc urbium sæpè masculina, fluminum verò fœminina epitheta, & Vocalem ante plures Consonantes abbreviatam, leges. Ita Illyrici postulabat idiomatis proprietas, Latinis aut Græcis necessitatibus non coërcenda: quibus aut generis aut pronuntiationis natura alteraretur. Ob id in Berislav *&* Jastrebarsko *mediæ syllabæ naturâ breves, nullâ positione corripiendæ fuerunt. tanto minùs Nominum patriorū genera peregrinæ consuetudinis gratiâ immutari debebant. Ita etiam & litteras pro possibili conformavi. Quare* ç, *pro* cs *vel* ts: c̀, *pro* ch *vel* tj: c *semper eandem acutam vocem faciente, quam apud Latinos ante* i *&* e *habet: cujus pronuntiationem ante* a, o *&* u, k *nobis usitatum distinguit.* ĺ *pro* lj, ly, *vel ùt Itali scribunt* gli: ñ, *pro* nj, ny, *vel Italo more* gn: ȥ, *pro* x, *vel* sh, *quasi liquefacto* z, *accepi: dum secus multiplicatis ita litteris nequaquam perfectè possunt*

sunt

ſunt exprimi. Y *quoquè cùm vocalis ſit, accepi pro ea, qua indigent perquamfrequenter Illyrii ante* r *alteram conſonantem præcedens, quæ ab alijs malè per* a, e, *&* o *ſcribitur; ego hactenus per* ö, *&* ë *rectiùs expreſſum cenſui: tamen cùm vocalis ſit exmittendam haud exiſtimabam. Quæ, & plura alia, in* Ortographia *mea Illyricana, ſive abſoluta Latinis elementis voces Croaticas deſcribendi methodo, clariùs exhibentur. Quædam etiam Nomina propria ſignificativa latinizavi. uti* Banale pratum, *pro* Baña Luka*:* Salſa petra, *pro* Slan kamen, Salan kemen. Karlopolis, *pro* Karlovac, *ſive* Karloſtadio. *ita & à Latinis uſitata Croaticè dixi, uti* Hyrvathia, *pro Croatia: cùm & antiqui Græci & Patrij Scriptores* Chrovathiam *ſcripſerint, & nos* Hyrvati *vocemur:* Kulpa *&* Kuppa *pro* Kolapi *flumine & ſi quæ alia. Boni conſule, Candide Lector, hanc opelam, & Vale.*

PLO-

PLORANTIS CROATIAE

SAECULUM PRIMUM.

DIj, quibus est hominũ rerumq; suprema potestas,
Et nihil occultum: quorum solo omnia nutu
Principium & finem capiunt; sine numine vestro
Nec spirat mortalis homo; quo crimine læsos
Infelix tantas Hörvathia movit in iras,
Quòd nec Bellorum nec Pacis tempore digna
Solamen sentire fuit? Date (quæso) benigni
Postremos saltèm posse enumerare dolores,
Quos lacrymæ lenire solent; toleratiùs inde
AErumnas ventura suas ut perferat ætas:
Aut forsan vestro felicior illa favore,
Quanto majorum fuerit servata labore?
Prospiciat sic docta. juvat meminisse malorum.
 Non revoco lacrymas, quibus olim sæpius auxi:
Danubium, Dravum, Savum, Kuppam atq; Naronem
Dum me Romanus peteret dum Sarmata, tecta
Comburens flammis, & campos cædibus opplens:
Exitio vicina meo; contenta recentes
Fatorum plorare vices: postrema duorum
Sęclorum memoranda gemam mea vulnera: lenit
Longa ætas veterem, præsens dolor acriùs urit.
 Postquam nostra jugo captivum Bosſnia Turco
Submisit collum, Regum damnata suorum
Seditione magìs quàm Thraci marte coacta,

In me Oriens ruit omne malum, quo triſtior olim
Vix fuit Illyricis gelidus Septentrio regnis:
Perpetuo Thrax namq; jugo crudelis, avarus,
Subdita colla premit: tantòque ſuperbior auſu
Inflatur tumido, quantò vel blandior illi
Arridet fortuna, magìs vel ſupplicat hoſtis:
Ne quocunq; modo ſeſe neget eſſe tyrannum.
 Primam Threicii Belli vim Jajcia ſenſit:
Sic ab ovi formam tumulo referente vocata,
In quo ſtructa jacet: varias experta Gradivi
Sæpè vices: ùt quæ patriis eſt janua campis
Ad montes Uſoræ & Pini: queis Boſſna recluſa
Tvyrtkoni primùm regales fecit honores.
Hoc etenim caſtrum cum Thrax mihi fortis ademit
Scabroſum ſcopulis Valdanum liber adivit,
Et Savum ac Colapim ſinuoſos. Corbaviamque,
Antiquis claram Corybantum nomine, vaſtat,
Quæ tribuit noſtræ de ſe cognomina genti.
Japidiam antiquam crebro populatur: ut Unnam,
Valdanum priſcis, Savanosque & Colapinos
Sæpiùs infeſtus vexavit. triſtiùs at tunc
Quando Derençinus prædam erepturus in agris
Corbaviæ infelix pugnat cum Jakupe Turco,
Et flore amiſſo totius nobilitatis
Captivum ſeſe victori præbuit hoſti.
A. Ch. Spem non exiguam prima mihi fronte ſpopondit
1501 Sedenum ſæclum Chriſti naſcentis ab ortu
Quod pia connumero; Vladiſlavi namque regentis
Pannonias, contra Venetos quas moverat, iras
Præſul Alexander ſanctè placavit, & arma
Threicium versùs impendere ſvaſerat hoſtem,

Præ-

Præside Corvino, nostro Prorege, Joanne,
Matthiæ Regis nato; belloque parabat
Subsidium Præsul, Venetosq; ligarat ad illud
Duplo præstandum majus. jàmq; arma parabam
Exitio Turcis. Sed sors inversa meorum
Frustravit pia vota Ducum, pia vota juventæ;
Defuerat bello condicta pecunia nervus.
Sic etiam Reges falluntur? & odia passim
Evertunt privata bonum commune? quod ipsum
In tacitas (video, Cœli!) vos provocat iras.

1502. Contremuit tellus, àc si ventura videret
Fata meis nocitura bonis. quo nempe tremore
Multa suas fuerant domicilia passa ruinas;
Corruit & divi turris campanea Marci
Slavniæ in urbe, vocant quam Græci nomine Montis;
Ut nec firma solo videar, nec ab æthere tuta.

1504. Vix pono tristes nuperna strage dolores,
Cùm mox custodem mihi limitis obsidet arcem
Jajciacam Turcus, qua jàm fuit ante repulsus.
Invasit miseram non vanus terror; ab inde
Summa mali facilisq; via est, metuenda Croatis:
Præcipuum captiva petit qua Bossnia passum
In mea regna, suo pòst aggredienda tyranno.
Corvinum cum pube mea succurrere Jajci
Expedio celerem; Dux hostem aggressus & arci,
Decertans pugna prosternit millia quatvor,
Cætera profligans Jajcensem liberat urbem:
Ast & natorum ceciderunt mille meorum;
Dulcis amor patriæ, merito præstantior isto
Eminet: hac tegimus natos hac sorte parentes.
Vix solvo exequias, & membra exangvia terræ

Condo: novas Turcæ clades nova damna minantur
In mea continuò plùs & plùs jura volando,
Vaſtantes Poſegæ & Vulkovarenſia rura;
Scilicet vnde ſuis primùm deſerta colonis
Conatu leviore queant pòſt capta tenere.
Hos quoq; Corvini virtus profligat & amni
Non paucos mergit Savo. Sed prò invida Parca
Hoc mihi præſidium de vivis prorſus ademit;
Ut pòſt ultrò meæ ſerpant ſine lege ruinæ,
Nec me jàm præſens defendat acinace Princeps,
Quo præſente alacris volat ad certamina miles.

1511. Cyrvivicæ mons eſt, nomen de vermibus hauſit:
Pauca hìc pugnabat cum Turcis turba meorum
Et fato adverſo; nam letho & ſangvine multo
Nobilitavit humum, deſpectaq; nomina montis
Erexit, præbens avibus ſe & vermibus eſcam.

1512. Jamq; à divitiis arx Blagaj dicta, Georgi
Urſini Comitis, ceſſit captiva tyranno,
Ad Sanam à Bano Babonigo condita quondàm:
Divitiis mala ſigna meis! Annoque ſequenti
1513. Excurrit Turcus Dubicenſia rura ſuperbus
Et prædas jàm victor agit, potiturus iisdem,
Ni Beriſlav Prorex hoſtem invaſiſſet, & ipſum
Fudiſſet ferro, rapidis merſiſſet & undis;
Latronem nam præda ingens & culpa gravabat.

1514. Rara nimìs hinc, ſævit hyems tam frigore multa
Quàm nive (qua tellus bis trino menſe ſepulta
Plurima damna tulit) magna cum ſtrage ſoluta
Jumentorum hominumque penès. ſic durior Aether
Sævìit in miſeros. Poſtquam melioribus auris
Altior æthereo terram Sol igne foveret,

Seno-

Senonibus nostris infensi plurima Turcæ
1515. Damna patrant. illis Rex succurrebat in ære:
Sed Peren, ut Prorex simul & Capitaneus urbis,
Deglubit Cives: tanto minùs aptus honori,
Quò minùs est animi generosi: multa superbo
Fortunæ desunt bona, desunt omnia avaro.
1516. Post ea Junus-Beg Bossnæ Præfectus ad amnem,
Cetina qui nobis, Nestum dixere priores,
Impositum ruppi castrum Sin nomine, forti
Marte premit, redigens in prædas omnia circùm;
Donec amans Civis propria cum morte salutem
Exemit patriam; profugum simulatus, adivit
Barbarum & occidit. quo facto, instanteq; Bano,
Ad celerem dat terga fugam gens barbara, fama
Territa Proregis Berislavi: cuj bene nomen
Gloria lecta dedit: quoscunq; is cœperat, omnes
Infixos palis avibus porrexit in escam;
Taliter exolvit pœnas temerarius hostis.
Ast hoc ipso anno Vladislavi tristia Regis
Funera deploro; longa dignissimus ille
Vita erat & fato meliore; sed impia Parca
Non parcit, cùm tempus adest fatale, vel ulli:
Subditus & Princeps naturæ debita solvit.
1519. Knin Arx insignis (Tininum dixere Latini)
In ripa Titii, qui vulgo Kyrka vocatur,
Condita magnificè, Nelepetis, regia dînde
Arte lociq; situ validissima, subdidit hosti
Captivum miseranda caput: nec Banus adesse
Tutandæ poterat; fato namque ipse sinistro
Per Piisias alpes hostes venatus, in horum
Labitur insidias, sine milite, tum sine & armis:

Ut ſceptro tantùm Prorex & presbyter uſus
Extitit; egregiè hoc ſeſe defendit in hoſtes:
Sed plures unum facilè excuſſere ſecures
Sceptrum: Proregem ſolum plebs multa peremit,
Krusicii Petri fraude has inductus ad aras
Occubuit; Petrum magno corruperat ære
Strigonii Præſul Thomas, homò avarus, honoris
Virtutisque oſor tanti Proregis iniquus.
Occidit inſignis Miles, divusque Sacerdos,
Illyrici Prorex, Weſprimi Præſul, & ipſe
Theſauro Regis Præfectus, magnus in urbe
Inq; ora Senonum, Jajcenſiq; arce Strategus,
Tam merito Beriſlav, quàm nomine ſtirpis, habendus:
Nunc martyr viridem geſtit ſuper æthera palmam.
Infelix Jeſenica locum ſola invenit hoſti,
In quo vir tantus vinci atque occumbere poſſet.

1521. Oſtrovicæ fatum jam nunc approximat arci,
Quam Rex Bela olim Scythicis compulſus ab armis
Condidit in tumulo Licæ telluris acuto,
Hinc nomen nactam; Turcis captiva gemiſcit,
Nec jam colle ſuo, nec jam factore ſuperba:
Ut nihil eſt firmum, quo Mundi gloria pendet.
Sic Orlovçicii Pec' arx in rupe cavata,
A qua nomen amat, Turca vi fraudeq; capta,
Imperium atq; fidem mutat. Comburitur infra
Modruſſam vicus, templi ſplendore decorus,
Hujc Oſtariæ nomen, quòd ſcilicet olim
Hoſpitium fuit hìc Savana petentibus arva
Littore ab Adriaco. Circùm montana latroni
Commoditate favent loca, ſylvarumq; receſſus.
Hæc ego dum ſpecto lacrymis ſuper ora profuſis,

Nobi-

Nobilis arx atque urbs præ multis maxima, Savi
Fluminis in ripa ſituata, ubi jungitur ipſe
Danubio : ſed ne majori, nobiliore
Parte prior cedat, mutarunt nomina in Iſtrum :
Belgrad ea eſt, Latii dicunt communiter Albam,
Impropriè Græcam : Taurunum dicta vetuſtis,
Invanum tentata priùs, multoq; redempta
Sangvine Turcorum : nunc ipſis præda cruenta
Sed locuples (quia Pannoniam reſeravit utramque)
Quam malè defendit præſes, cognomine Turcus.

Tantæ urbis caſu loca Savo proxima circùm
Sultanus capit ; ùt Kopnik, Baric'que, Sabacque :
Mitrovicamque, ſatìs celebratam antiquitus urbem
Nomine ſub Sirmi, per quam Provincia tota
Sic vocitata fuit, Romanis nota. Deinde
Juxta Danubium Zemun, Kemenic'q;, Petramq;
Salſam (prætereo pagos & caſtra minoris
Nominis) ac totum flamma ferroque Ducatum
Defędat. Sirmî quæ fæcundiſſima tellus,
Quas patitur plagas ! Hinc magna parte jugavit
Pannonios, ſortique meæ poſtrema minatur,
Impius Eois prædo qui nuper ab oris
Prodiit, Occiduas extendens brachia in oras,
Nulla cæde ſatur, nimiùmque ſuperbus, avarus.

1522. Krupa quoq; Auranæ priùs arx ſubjecta Priori,
Poſtea Zriniacis, Unnæ ſuper amne locata
Fortiter impetitur, ſed fruſtra, hoſtilibus armis:
Quam mea defendit contempta morte juventus.
At Scardona cadit, celebri ſat nomine clara,
Urbs vetus ad Titii flumen ſituata, Liburnis
Chara olim ſedes, Turco fit ſubdita juri.

Hinc

Hinc ferus, injectis Klissana suburbia flammis
Funestat; quicquid non aufert, omnia delet
Ferro ac igne ferus; gaudet nocuisse tyrannus.

1524. Non saturata locis tot Turca superbia captis,
Protinus in longinqua manus extendit avaras:
Jamque per Ozlensem Jastrebarskumq; per agrum
Ingentes abigit prædas. Krupamq; novatis
Viribus aggreditur: frustra tamen usq; laborat,
Atque utinam semper! venient sua fata sed eheu
Et Krupæ! miserumq; statum plorabit & ipsa.

1525. Alta iterum Jajces mihi & urbis, mœnia & arcis
Bossnius ac Hlivnæ Præfecti, viribus aucti
Innumeris, telis quatiunt gravioribus: ut jàm
Proxima casuræ metuebam fata, relata
Fama mihi obsessæ quando fuit: illicò fortem
Christophorum Comitem Modrussæ mitto; juvamen
Obsessæ ferat. Ille celer succurrit egenti,
Continuòque tribus non dempta nocte, diebus
Confligens, tandem superis melioribus, ausu
Non numero (hoc longè major namq; extitit hostis)
Debellat Turcum, Jajcemq; eliberat; unde
Defensor Patriæ pro laude à Rege vocatus,
Namq; salus Patriæ de Jajce summa pependit.

Eripio Turcis hinc Jajcen, tristis at illinc
Fama mihi paulò pòst fertur nuntia casûs
Et cladis, Sirmî qua tellus fertilis arvo
Et cælo felix, crudeli subdita Thraci
Evertit nostras aras & templa profanat,
Ac Mahometano jam vivere dogmate discit.

Humanis rebus sic heu infirmius est nil,
In queis fortuna & casus quamplurima possunt;

Sem.

Semperq; in pejus miseros fortuna coërcet,
Cùm semel esse mala incepit. Vix Sirmia rura
Deplanxi & plebem, parva in regione colonam:
1526. En Muhaçinus ager (de muscis nomen adeptus
Omine non fausto) totum proclamat ad orbem
Infandam cædem populi procerumque suorum,
Regis & interitum; qui cleri hortamine motus
Sancitam pacem cum Turco Principe rumpens,
Disparibus sociis turbatoq; ordine adorsus
Certamen fatale fuit; sed sobrius hostis,
Atque sui parens dictis sine lite strategi,
Prævaluit victor! tantò truculentior ausu,
Quantò supplicior quando pro pace rogabat.
Pannonii Hyrvatique Duces, primique Dynastæ,
Prælati, magnique viri cum milite forti
Confusi Dacis miserè sternuntur in arvis:
Ut captos inter, gladiique furore peremptos,
Millia bis centum numerem: Rexque ipse fugaci
Præcipitatus equo, limoso Karas in amne,
Cum vita in patriam conceptum extinxit amorem:
Atq; hinc Ungaricis & prima & summa ruina
Invaluit terris, & pars amissa coronæ.
Quantus ubique timor? quæ consternatio plebis?
Quæ fuga? qui gemitus? humana edicere lingua
Non posset, tenuive manus describere penna.
Dux hujus belli, tam raræ cladis & autor,
Infelix Tomoreus erat, cuj mitra Colossum
Cassıde visa minor: Sacra aspernando Deorum,
Arrogat imperium fera mens super arma Gradivi,
Et Regi dare jura suo vesana voluptas,
Postponendo Duces Bellorum sorte peritos,

Quos ego ab hinc, illinc quos Transylvania misit.
Sic malè bella gerit, cuj rerum cura sacrarum
Et vitæ innocuæ tenor est servandus: iniquè,
Hosti etiam desponsa, fides violatur: & hostem
Non spernat causæ propriæ fiducia. finem
Incertum bello & liti fortuna reservat.
Tantorum monachus fuit vnus causa malorum!

1527. Inter funestos, pro successore Coronæ,
Quos persæpe cient improlis funera Regis
Votaque Magnatum vidui discordia Regni,
Motus, Corbaviæ princeps arx Udvina mæstam
Incidit in sortem; collo depressa superbo
Triste jugum imposuit: Torquato absente patrono,
Karlovic' à patrio qui nostris nomine dictus.
Tunc & Likenses cæpit percurrere campos
Turcus eques, delens pagos atq; oppida flammis:
Nec posita in tumulis castella tuentur apricis,
Apta situ, sed pressa siti: licèt arva salubres
Excipiunt amnes: & toti nomina terræ
Flumen Lika dedit, Latiis medicina salubris.
Cædibus & flammis serpit Thrax impius, omnem
Informem mihi reddit humum, vacuamq; colonis,
Quam præ mille aliis natura fovebat amęnam,
Ditis & indigenæ fecit cultura superbam.

1528. Tandem etiam Jajce castrum prænobile victum
Captivas in jura manus hostilia præbet:
Et quotquot pagi, castellaq; & oppida circùm
Jajcensi suberant juri, nunc Turcus iisdem
Jura dat & legem ponit, mea pignora cœdit
Ense ferus. prò quæ regno fit plaga Croato!
Quicquid Porisius (nunc Vyrbas) Savus & Unna,

Ter-

Terrarum capiunt, villis pagisq; satarum,
Pingue solum, à propriis desertum penè colonis
Nunc ursos alit atque lupos, vel utraque ferarum
Efferiorem hostem; toto jam rara supersunt
Telluris spatio castella & castra, locorum
Fors defensa situ, quæ nondum possidet hostis,
Sed potiturus adhuc: Divorum templa crematis
Tectis atq; aris, sine mysta, flebile visu!
Ruderibus nisi nota rigent: cecidere Parœci
Egregii, fortesque viri, captivaque ducta
Vel dilapsa abiit plebs. res perdura profectò
Et salvis, patrios est deseruisse penates.

Necdum Magnatum Procerumq; sopita meorum
Scissio tristis erat, qua nil egisse licebat
Viribus attritæ: quibus ultrò creverat hostis,
Adriam ut hinc montem, mare qui cognomine fecit,
Sæpius & celerem cursu transiverit Unnam,
Ac tutus prædas ad propria victor abegit.
Interea Prorex fatali febre laborans.
1531. Prole carens, Patriam sese ipso privat: amore
Quam bene dilexit vero: privatus & ipse
Fortunis propriis; Patriæ ne fortè ruinam
Extremam videat, fato meliore vocatus,
Defessam ærumnis vitam gravioribus Heros
Subtraxit: stirpis Torquatæ nobilis hæres.
Ingenti Patriam feriit mors ista dolore:
Illa etenim, variis hoc tempore tradita Banis,
Nil experta boni: fortuna potentior omni est.
1536. Ex improviso nostras prorumpit in oras
Barbarus, & Dobboj Berislavi nobile castrum
Occupat: hinc pergens ad Savum Brod capit, isto

Nomine trajectum vocitamus in amnibus isthinc
Trajecto Savo, Pozeganum fusus in agrum
Urbem arcemque capit, quæ nomine dicta recenti
Sic est, quòd ferias celebrans fuit igne perusta,
Incero quondam Romanis. Inde Cetinum
Diripiunt castrum cum claustro subtus & urbe
In Klokoçe terra, Comitatùs antè Goricæ,
Hìc Ladislav natus Rex sanctus. quàm ferus hostis:
Non finit immunes Divorum Turca penates.

1537. Auditis ita Rex Ferdnandus mille querelis,
Ut populum tegat, ac sævum de finibus hostem
Arceat, armatæ mittit plura agmina gentis.
Hæc sociata meæ, ductor si strenuus esset,
Trans Hebrum poterat victum depellere Turcam,
Et reparare meam vicinorummque salutem;
Tam fuit instructus justis exercitus armis.
Sed Kocian Belli summo cum jure strategus
Clam multo à Turcis accepo turpiter ære
Proditor infamis sic agmina nostra regebat,
Sic hosti favit, vicena ut millia nostûm
Occubuere virûm, gentisq; utriusque strategi
Ladron & Bakic'; vitam Kocianus amico
Liber ab hoste refert, quam perdet turpiùs olim:
Non etenim tempus minuit peccata, sed auget,
Et fieri graviora solent, quò longiùs illa
Infelicem animam misero sub corpore pascunt.
Quanta salus Regni bello dependet ab vno:
Quanta mala à timido vel avaro Præside belli
Incumbunt Patriæ! duris exercita virtus
Obsistit duris; flectuntur ad omnia molles.

Interea totum Klis arx obsessa per annum,

Con-

Condita ab Augusto cuj Diocletia nomen
Jndiderat longis vicina in rupe Salonis:
Jn jus hostis abit. Prò cuj vis ulla nocere
Non poterat: sitis atq; fames miseranda peremit!
Inde Nadin, Titio castellum in flumine: multa
Præterea circùm cum pagis prædia, villas,
Deseruere sui loca non defensa coloni.
Augetur timor hinc, illinc audacia crescit:
Ut victis venit ille comes, victoribus ista.
Ipsa nec hujc fato speciosa Aurana resistit,
Deliciosa lacu: sedes famosa Priorum
Templi Equitũ (claustri fuit hìc Zvonimerius autor)
Dinde Rhodi: captiva hosti nunc ostia pandit.
Difficilè est contra torrentia flumina niti
Nautæ imbecilli: nec fit pro robore forma.
Ne tamen ulteriùs serpat contagio tanta
Adriacis nocitura locis, media omnia tollo:
Tunc Znoil & Vraçan, castellaque proximiora
Evacuat, vastatque suus fugiendo colonus:
Proq; agris mavult scopulos habitare marinos.
Chara homini vita est, licèt ipso in carcere clausa.
Heu; jam nec Dravus auratis dives arenis
Tutus ab hoste fero magnum decurrit in Istrum;
Juxta ipsum positas arcemq; urbemque refluxus
Vicinæ quejs nomen aquæ concessit Oseki,
Occupat Eous prædo; qua commoditate
Et mihi & Ungariæ noceat magìs. hìc quia flumen
Latiùs effusum se humiles demittit in undas,
Et longi tolerat collo juga pentis amico.
In mea damna modis studet omnibus impius iste
Barbarus, atque rudis, tanti sua commoda pendens,

Ut nihil ipse nefas, quicquid juvat, æstimet esse.
1538. Dubiciæ ac aliis succedunt tristia fata ;
Servitii non gnara priùs, jam colla tremendo –
Submittit miseranda jugo, nocitura deinde
Visceribus matris. Jesenovac longiùs infra,
Savanas ubi se Valdanius amnis in vndas
Effundit, procul à nostris hac sorte remotum,
Deserimus vacuum : cuj lignea fabrica, valli
Pro muris : igni nec ferro obsistere gnarum.
Hunc postquam, allectus fluviorum Turca duorum
Commoditate, locum reparat, munitq; valenti
Præsidio : metuens quamplura pericula Banus
Eventura, locum ferro destruxit & igne.
1539. Ast ubì vicino vicinia fida tulisse
Unanimem debebat opem ; commune periclum
Qua tolli quiret ; Venetus sua tella reponit,
Cum Turcis iniens, multo quam munere solvit,
Pacem. Ita quisq; suæ privatim prospicit ædi :
Nemo vicinum, nemo jam publica curat.
Sed nec ea Turcus contentus pace quievit ;
Rizonium Illyrici veterem vi subdidit urbem,
Expugnatq; Novum præda cum divite Castrum,
Nulli in quo vitam nimium ferus ille pepercit ;
Rizonio sinui locus hic stat junctus uterque.
Occupat & Nadin, desertam nuper : & armis
Infestis urbem Sibenik, Sicum antè vocatam,
Impetit : at vano conamine ; duriùs hosti
Muris atque viris Sibenikum forte resistit.
1540. Tunc Huzren Bossnæ Begus, Klissæq; Murates,
Zrinensem vastant agrum crudeliter : arcem
Oppugnant ; sua quæ tribuit cognomina stirpi

Sub-

Subitiæ, quæ pòst cognomen ſumpſit ab arce
Zrin, in prærupto ſituatam colle; ſed illa
Incolumis doluit campeſtria damna ſuorum.
Hoc & Murates, Boſſnæ qui præfuit, anno
Ad placidi Colapis gyroſum ſæviit amnem,
Dubovac, Steniçnak item, primaria in illo
Oppida diſtrictu terræ, prædatur & igne
Funeſtat, ditemq; rapit ſine ſangvine prædam.
Ad Belli non tuta vices ſtant, præſide quando
Præſidiove carent aut ductis, oppida, vallis.
Dum ſic diviſo malè currunt omnia Regno,
Poſtrema ad ſuperos Regem vocat hora Joannem,
Qua regnum & vitam finit: nec tutus amicis,
Tutorem nato Solimanum deligit hoſtem;
Agnelli quaſi cura lupo tradenda fuiſſet,
Et non cognatis ovibus? mortalia jàm plùs
Ingenia haud miror, delirant ſi quoquè Reges;
Quod fuit expertus paulò pòſt regius infans
1541. Cùm ſibi regalem tradi prætenderet urbem
Budam Ferdnandus; tutor Solimanus adivit
Ungariam: Budamque ſibi ſervavit, & illum
Ad Dacos miſit vidua cum matre puellum:
Exemplum fecit ſæclis memorabile cunctis;
Nullus ab infido fidei ſperetur ut actus.
Inducta heu ſuaſu monachi Regina Georgî,
Hoſti quàm Regi potiùs concedere Budam,
Regali ſolio jàm longa per æva ſuperbam,
Maluit infelix; infelix: namque venire
De ſceptro ad baculum, nimiùm res dura profectò eſt.
In ſpes me fortuna novas jam provocat; unde
Et mæſtum lenire queam, fortaſſis & olim

Vul-

Vulnera quæ ſanem. duo martia pignora fratres
Zriniades video jàm pubertatis ad annos
Perveniſſe : avidumq; latus præcingere ferro,
Aſpicere & torvo vexilla Otomanica vultu.
Hi prima ut navent forti rudimenta Gradivo,
Comburunt Kamengrad, lapidi cognomine caſtrum
Ad lentum Sanam, celeri qui jungitur Unnæ,
Conſtructum ponti cuſtodem ; tutiùs ut pòſt
Japrenſes ſaltus & pinguia rura frequentent.
Non modicus pavor hinc vicino naſcitur hoſti,
Qui de principio fortunas, judicat hinc et
Accreſcunt animi noſtris. Sed perbreve nobis
Solamen fuit hoc : non multò namq; deinde
Zriniacum caſtro ſub Vinodolenſe Joannem
Occidunt homines Prælati Zagrabienſis ;
Ne mea vel deſint in cædes arma meorum.

1542. Zagrabiæ, clerum Ladiſlav cuj ſanctus adauxit,
Forma tamen triſtis nomen dedit ipſa ſepulchri,
Proſternit funeſta pios contagio Cives.
Grande malum : fratri quo frater adeſſe, nec uxor
Audet in amplexus dilecta venire mariti!
Sic peccata hominum divina Aſtræa requirit.

1543. Pannoniis iterum Sulimana potentia campis
Incubat, atque novi ponit fundamina regni.
Valponem primùm Garai ſtemmatis arcem,
Juribus & fundis amplam, ditionibus hoſtis
Subjecit propriis : trajecto flumine Dravi,
Sikloſum inſignem capit arcem : patria quondam
Chriſtophori aſtronomi fuit hic; Peucamq; decoram,
Pecuj ipſa voco, cuj quina eccleſia nomen
Fecit apud Latios notum, Thrax diripit urbem;

Tem-

Templa, ſacras ſtatuas, araſque prophanat, & omne
Exercet ſcelus in veteres novus incola Cives:
Ut raró pius eſt, qui vitam ducit in armis.

Hæc meus attonitis gemeret cùm Dravus in undis,
Illic Danubius lacrymis deflebat amaris
Metropolim Regni totius Strigonium altum,
Sacratamque diu tumulis regalibus Albam:
Totq; arces, pagos totq; inter utramque jacentes,
Et tot Clauſtra capi! Quanto jam tramite labat
Pannonia, à proprio quæ dicta valore Valerja
Antè fuit! Video; quòd caſibus omnia ſubſint:
Cæcaq; & inconſtans fortuna vagatur ubique.

Abſterſi necdum lacrymas, minuíve dolores,
Cùm nova Pannonicam Thrax damna movebat ad ur-
Javrini: quam vix satìs Arrabo protegit Iſtro (bem
Conjunctus; Banum moveo, ſuccurrat amicis:
Et fecit; cæſo qui trino mille Getarum,
Tum profligatis reliquis, eliberat urbem.
Sic dat opem ſincerus amor, licèt indigus ipſa:
Inſignemq; animum vicini injuria lædit.

Dum pro Pannoniæ pia fit mihi cura ſalute,
Damna domi patior. nam Boſnæ Præſes Ochinum,
Stupçenicem, Csakov, Belaſtenamque per arma
Per vim Slovinias expugnat & occupat arces.
Adriaco vicina freto loca deinde petivit,
Regalem Señæ viſurus forſitan urbem;
Antiquam Senonum patriam, qui ſæpè Quirites
Terruerant inter celſa Urbis mœnia, quique
Jura dabant pelago, Galli dicti atque Liburni.
Hìc tamen adverſam nacta eſt audacia ſortem
Turcica: nam Gazkæ clarum ſed fertile cançris

Sanguine turbavit flumen, perq; arva ſuorum
Corpora cæſa feris avibusque voranda reliquit.
Tempore ſæpè brevi fortuna, locoque, favores
Immutat proprios: nam nulla lege tenetur.
 Tot bellis feſſus, ſpoliis tot onuſtus, ab armis
Thrax cum Rege meo ceſſare paciſcitur; ut quo
Tempore ſecurus colat arva paterna colonus,
Et non turbatus per Martia claſſica Civis
Inter privatos requieſcat quando penates,
Ac quæ deſtruxit Bellona, redintegret alma
Pax. Hac ſperabam, charis perſolvere juſta
Natis, & tumulis exanguia condere membra.
Sed nunquam ſincerus amor ſperetur in hoſte,
Nulla fides fidei eſt in contemptore. quis, oro,
Fallere turpè putet quemquam, cuj tollere vitam
Pro laudis merito cenſet? mox barbarus idem
Aſcrîvii, quam nunc Kotor incola nominat, imo
Rizonii maris in ſeceſſu, fortiter urbem
Claſſe petit: ſed abit Pacis violator iniquus
Pulſus ab hinc; pacem turbantes Juppiter odit.
1544. Proſperiore tamen Velikam fato impetit arcem,
Magnanam Latio quondam ſermone vocatam,
Quam longè Reges habitabant Bate priores,
Ut nunc regalem Velikam voco: pluribus olim
Præfectam vicis, pagis atq; urbibus. ipſam
Subjicit imperio vis & fortuna tyranno.
Turcica nunc Velika eſt, mea Velika deſinit eſse;
Ut jam, nil magnum, videam, mihi ſorte relictum.
1545. Slovinios percurrit agros jam tutior hoſtis,
Cum prædis ſpoliisque redit: nam prædia circùm
Diripit; & tanto majori concitus auſu,

Vel nimiùm fidens fortunæ ad vota secundæ,
Konsc'ineam penetrat valido cum brachio ad arcem;
Montibus amplexam, medio quæ considet agro,
Nacta ab equis nomen: forti oppugnata resistit
Hosti, dum Prorex & Bildenstajnius heros
Auxilio obsessæ veniant. mox clade recepta
Dux simul & Prorex pulsi rediere. Sed hostis,
Cùm nocuisse nihil se posse adverteret arci,
Adversamque sibi metuendo postmodo sortem,
Vastata latè longa regione recessit:
Quicquid non aufert, hoc destruit impius hostis.

Ingemui tantæ cladi, nec dinde minori
Mærore afficior, quando Moslavina (Claudî
Montem Romani veteres dixere) repente
Succubuit casu vi Turcæ. Claudius isthinc
Ortum habuit Cæsar, sed mons est aureus ipse,
Strata docent, quibus est Romanis antè petitus;
Csuporianus erat quondam, quem postmodo Bakoç
Affini Erdedum stirpi pro dote reliquit.

Sic vi, sic armis, non lege aut jure parantur
Regna: subest pauper legi, se fortis ad arma
Provocat. à fatis humana sed omnia pendent,
Seu bona, seu mala sunt, quoniam prævertere nemo
Fata potest, nisi tu fatorum Juppiter autor,
Atq; ideò sunt fata animo patiente ferenda.

Res pusilla nimìs fortuna humana profectò est,
Cùm nullum satiet, nullum impleat: omnia adiri
Per scelera imperium, regnandi sæva cupido
Non putat esse nefas. hæc vasto Oriente Tyrannos
1547. Mutua in arma movet; crudelis Mustafa primùm
Fratrum cæde tumens inquirit funera patris,

Perſide & AEgypto contractis: ut pater ipſo
1548. Infelix nato, bellum infelicius egit;
Exemplum, Turco quantum credatur amori.
Jam ſi Chriſticolis mens una animusq; fuiſſet,
Quàm facilè Europa poterant expellere cunctis
Infenſum Turcam, proprio nec ſanguini amicum.
Sed privata domi curans ſua commoda quisque,
Nemo mali alterius voluit, propriiq; pericli
Eſſe memor; morbo hoc vicinia tota laborat.
Hæc inter Malkoç prædarum avidiſſimus, armis
Totius Boſſnæ, mediæque Croatiæ (ò ingens
Materno cordi dolor) almæ rura Topuſkæ
Perñæ & Steniçñak terras ac prædia latè
Pervolat, expilat, flammisque ruinat, & inde
Captivis rediit ſpoliisque ad propria dives.
Nulla venit fortuna, Dei ſine numine: nulla
Pœna venit noſtro ſine crimine; deniq; noſtro
Arbitrio ſi quid conceditur, omne profectò
Pronius in lapſum eſt. gravitas quia tendit ad imum
Sponte ſua; volucres conatibus aëra poſcunt,
Deſcendunt poſitis nullo conamine pennis.
1552. Ungariæ ſequitur multis fatalior annus,
Quo Temeſum, Lippam, Tolnok, Csanad atq; Felakũ
Et charam antiquis Weſprinum Regibus urbem,
Thrax capit; ac miles Palaſtæ cæſus in agro
Pro patria occubuit decertans. Inde Dregethum,
Jarmat, & Seçen arces vicinaq; multa
Caſtella obtinuit Thracum ambitioſa poteſtas;
Tam malè diſcordes animos fovet Ungara tellus.
Sed nec apud me Ulaman nuperna ſorte quietus,
Ad nova contendit Regni incrementa ſuperbi.

Sloviniam petit; & trajecto flumine Savi,
Csaſmam urbem, tumulo Kolomani nobilitam,
Veroçamq; arcem Comitatûs jure potentem
Banſiacam ſedem, vi ſurripit: inter utramque
Complures vicos, pagos caſtellaque flammis
Devorat, in prædam potiori parte redacta
Infirmæ plæbis, quæ non fuit enſe perempta;
Concidat ut Slavnæ nomen laudabile gentis.
Hoc ut ſuſtineat Petrus Eerdæodius hoſti
Opponit modicas vires: flammisq; Gradiſkam
Corripit: & Velikam ſocio pro milite vertit
In prædam. Sed non mea damna hæc pœna reſarcit;
Barbara multiplici ſuperat me Turcia gente,
Ut cuj multa uxor pellexq;, in cœlibe vita
Nullus honor, ſed pæna magis, ſua damna, ruinas
Ex facili reparat, mox viribus aucta reſurgens.

1553. Rectè feſta trium celebro ſolennia Regum,
Cùm Malkoç Begus Krescicem Mutniciamque
Deprædavit ovans & longa valle redivit
Incolumis, valli cuj Caſtaneapolis hæret.
At paulò poſt hæc Alpes transgreſſus ad arcem
Corbaviæ Bunic', Perusic'q; in finibus agri
Likenſis (pauca noſtrorum à gente relictas
1493. Poſt Derençeni fatalia prælia Bani)
Venit, & has reparat tectis, ac gente Otomanna
Munit: quas hoſtes mea Seña deinde videbit.

Vix uno à prædis ſeſe Thrax continet anno,
Contemnens Paci data ſacramenta colendæ
Ad nova Chriſticolis impendit damna; valenti
1555. Pannona rura manu petit; hic nova Caſtra, Bobovac,
Jacobi divi pagum, Krotnumque, Kapusque

Vi capit, & Turca jubet amodò vivere lege.

1556. Impendent valido tandem ſua fata Sigeto,
1530. Quod Rex aggeribus cinxit foſsiſq; Joannes:
Hoc Marte oppugnat ferus Halil Paſſa potenti,
Menſibus addendo menſes, noctesq; diebus;
Ut nullum omittat præclari militis atque
Egregii Ducis officium, bellator ab annis
Ad ſenium teneris: prudentia nemque Strategi
Bellantisq; valor vincunt, referuntq; triumphos.
Sed major fortuna meis, quia juſtior, armis
Favit: ut obſeſſo potuit nil Turca Sigeto,
Quin profligatus Duce Zrino Lenkovioque
Pro vita fugit, juſtæ cedendo triumphum
Cauſæ, dante Deo: ſtragem tamen attulit antè
Vicinis terris, vicîs pagîſq; crematîs;
Vincere cùm nequeat, gaudet nocuiſſe Tyrannus.

Regia Ferdinandus proles hoc tempore venit,
Fortunæ laturus opem cum milite noſtræ,
Militiæ Dux ipſe, Ducum veneranda corona:
Reſtituique mihi depulſo Thrace Bobovac;
Auſoniis Fabiam, corrupta voce Baboçam
Unnis, & circùm caſtella jacentia, nuper
Non protecta ſatis quæ vi ſublegerat hoſtis.
Ut Pacis clemens, ſic Belli tempore fortis,
Laudatur Princeps armatus tempore quovis,
Enſe gerens Bellum, ſceptris in Pace coruſcus.

Sic mihi trans Dravum clemens fortuna favebat,
Aſt Unnæ Savoque nimìs contraria, Turcos
In mea rura vocat, ferro flammiſque cruenti
Obvia poſterruent: tunc Urbis Zagrabienſis
Depopulatur ager. Quò me jam tuta recondam?

Pro-

Proximus est Sutlæ, qui Regnum terminat amnis:
Styria namque sibi Ciliensia vendicat arva.
A latere ac à fronte petit me barbarus hostis
Nec locus à tergo est, quo pes figatur. ab ipso
Fonte gemit Savus! stupet ad nova crimina tristis
Unna: ubì Lustholter, de Carnis advena, celsam
Castaneapoleos mediis in fluctibus arcem
Divendit Turcis auri bis mille ducatis,
Turpis, avarus homo, summorum causa malorum:
Hac nempè amissa supremam penè ruinam
Experior; Novium, quinquagintaque propinquas
Urbes atq; arces: castella & prædia bis sex
Mille, supra septem centum propè sexaginta,
Barbarus expilat, comburit, destruit hostis,
Octuaginta & plus captivûm millia nactus.

Non mihi Cresseum damna hæc persolveret aurum,
Impie Lustholter, quæq; inde sequentur ad annum,
Quo mihi restituet Princeps generosior arcem,
Auri tam vili pretio, vel fortè timore
Magno animi, Turcis mercatam. Tantus in ipsis
Regibus est error; qui non in Marte peritos
Præficiunt rebus, quæ martia pectora poscunt.
Militiæ sunt nulla magìs metuenda pericla
Ignaro Duce, vel timido, vel pejùs avaro.
Mitibus est animis audacior anteferendus,
Et Patriæ Civis peregrinis tempore Belli
Nempe: secùs curat sua quivis, nemo aliena:
AEreque conductus miles corrumpitur ære:
Rara at vis Civem patrio spoliabit amore.

1557. Post hæc ad Rakovac (à cancris nomina dixi,
Oppidum idem vetus est & castrum regium in illo)

Agmi-

Agminibus multis armatus pervolat hoſtis:
Ulteriùs pagos & prædia crebra rapinis
Vaſtaturus adit. Sed tantum protinus auſum
Pœnituit; nam cæſus abit; licèt illius eſſent
Millia tot numero, quot erant centena meorum.
Magnus enim numerus crebrò confunditur, & quò
Curet plura, minùs quis ſingula proſpìcit aptè.
Jam verò Hoçevios invadit Turca per alpes
Difficili paſſu, ceu clam juvat ire latrones:
Expilant duris aſſvetam vivere gentem,
Ribniciumque ſolum (piſcoſo nomen ab amne eſt)
Deprædantur; iter vertuntque deinde per alpes
Seňonias: ſpoliis, captivorumque ſuperbi
Ingenti turba. Sed vindex Martia Seňa
Opponit Cives, & pœnas exigit enſe.
Sic igitur mea tunc percuſſit Seňa latrones,
Ut (quorum fuerant bis centum, & millia quatuor,
At niſi ter centum quinquagintaque meorum)
Captivis cunctis, prædis ſpoliiſque relictis,
Vix ſeptem incolumes excepit Turcia natos.
Audaces juſtoſque juvat fortuna: latroni
Semper in eſt aliquid culpæ cum mole timendum.
1558. Thrax iterũ ad prædas, velut ad mel urſus, anhelus
Tendit, ubi hoſpes iners minùs hoſti opponitur, alpes
Tranſit in Hoçeviam & Karſos prædatus inermes,
Præteritas metuens pœnas confinia Seňæ
Evitat: tutum deſerta ampliſſima præbent
Latroni reditum. Thracum pars altera quærens
Inferiora amnis Colapini prædia prædis
Subdere, ſub Vinodol, vini de valle vocata,
Alapio pœnas ſolvit cum clade Joanni;

Non debere nimìs fortunæ fidere, docta.

1559. Mox reparans vires, Karſum, Pivkamque jugoſã
Vaſtat & in prædam deducta plebe ſuperbit
Turcus, inoffenſo rediens pede; ſic mea damna
Vicini longè per multa incommoda lugent;
Cum paucis nequeo latera omnia claudere natis.

1560. Pax nova cum Turco Romano & Cæſare facta
Vulgatur: ſed vix annis manſura duobus;
Ille etenim ſeu bella gerit, ſeu quærit amicos,
Cuncta lucri cauſa vel commoditatis amore
Inchoat & finit; non eſt, quod amicus in illo
Spectet; amore caret vero: dat ſplendida verba,
Cor tamen haud aperit. nemo confidat in hoſte.
Ille idem primus violavit pacta nefandè,

1562. Cùm Beg de Pozega ſtipatus milite multo
Exiit, ut reliquum Slavnorum vaſtet agrorum:
At meus hoc crimen punivit Zriñus in hoſte:
Ut vix Beg cæſo ſalvaverit agmine vitam.
Sed Vranograç arcem, ſic à Cornice vocatam,
Zriñani Comitis, temerarius occupat hoſtis:

1563. Mox Thraces Zriñus Valdani cædit ad amnem.

1564. Hoçevjam Thraces iterum prædantur, & illinc
Impunes abeunt. Tantum ſum prole minuta,
Maxima terrarum quòd ſint deſerta mearum:
Ut minùs inſpiciam viciniæ amica tegendæ.
O Rerum inſtabilem ſortem, dubioſque Gradivi
Eventus! nulli fortuna eſt ſubdita legi.

1565. Jam Koſtañiciæ novus incola & urbis & arcis
Prædatur dites villas pagoſque Topuſkæ;
At cæſus prædam mihi cæſit prædo, Joannis
Alapii domitus virtute. deinde per Obres

Turcorum ſex & viginti millia campum
Ducta à Muſtaffa Sokolovic' Præſide Boſnæ,
Heroo fregit Prorex Erdœdius enſe.
Damna ſed ut damnis Muſtaffa rependeret, arcem
Kruppam vi magna ſibi ſubjicit, antè ſolutam
Sanguine non modico Turcorum, at laude minore:
Nam niſi tres ſupra viginti Bakic' habebat
Dux ſocios: cunctis, quam ceſſit, ritè peremptis.
Sic tandem inſultat juſtæ vis impia cauſæ:
Sicque meæ rapiuntur opes, mea mœnia cedunt,
Et fortes nati patrias cęduntur ad aras;
Quò protecta minùs Colapino terminer amne.

1566. Tunc poſt luſtra duo redeunt infauſta Sigeto
Fata meo, totum Turcorum Rex Orientem
Unius exitio trahit arcis. ut hacce ſubacta
Pannonios poſthac decurrat tutiùs agros,
Hinc Styras, illic Auſtrales & Moravanas
Deprædetur opes, villas populetur & arces.
Nil moror; expedio Banum cum pube fideli,
Qui, ſi fortè cadant turres cum mœnibus arci,
Martia Threïciis opponat pectora telis.
Tantam ſuſtinuit vim Prorex ſtrenuus iſthìc,
Quantæ Europeus vix non ſuccumberet orbis:
Corruerantque priùs turres & mœnia circùm
Quàm defenſoris virtus. tandem undique ſævis
Arctatus flammis, funeſta egreſſus ab arce
Præclarum fecit generoſus miles agonem,
Néve locum aut laudis quid vivus cederet hoſti.
Intravit vacuam ſic Thrax inglorius arcem,
Militiæ atque Ducum præmulta cæde ſolutam.
Præſidii pars magna mei ſublata Sigethi eſt;

Sed

Sed tutanda ſuis fuerat ſic Patria natis,
Sic aræ atque foci: tali ſignanda liquore
In Superos, Regemque fides, amor inqúe propinquos
Ritè fuit: poſtquam naturæ debita mors eſt:
Felix, pro Patriæ mors conſecrata ſalute.
    Non ita vicini Bobovac, Brigniciamque
Defendêre mei, vix hoſte adſtante relictas,
Ut nihil obſiſtat petituro dinde Kanizam.
Dedecus eſt, ſalvis fugere armis: dedecus, hoſti
Abſque cruore locum concedere; dedecus, inquam,
Præclaræ morti miſeram præponere vitam.
1567. Amiſſi Bani, ſimul amiſſique Sigeti,
Et dolor eſt & plaga recens in pectore noſtro:
Ac tanto major, quòd mille pericla ſaluti
Inſultent noſtræ: plagis cùm nemo medetur,
Afflictam nemo ſolatur: ſæva Croatis
Perpetuò celerem propendunt fata ruinam.
Alter me Prorex Petrus Erdęodius, alter
Ipſe Pater Patriæ, bellis defeſſus & ipſe,
Deſerit, ad Cœlos pacata morte vocatus.
Sic pullam pullæ ſuperaddo, dolorque dolores
Aſſequitur, ſemperque minus fortuna relinquit
Dura ſpei afflictis. Nativus inundat & Unna
In mea damna: nequit Colapis, Savusque tueri
Pauca ad extremos fines cum prole redactam.
Viribus amiſſis languet miſerabile corpus.
1568. Captus amore Cypri Selimus Thrax potiundæ,
Multa, reluctanti laturus vim, parat arma,
Utque illic avibus currant ſua vota ſecundis,
Et Regna hìc maneant imperturbata, novatam
Pacem cum Auguſto ſtipulatur Maxmiliano.

Aſt ibi Selimum victoria prima ſuperbum
Extulit, ut fidei contemptor jus violare
Non veritus, bellum molitur *Maximiliano*,
Regnorum prædæ cupidus majoris ubique:
Nec multis animus rebus ſatiatur avarus
Ambitione tumens, & mens ſitibunda cruoris.

1569. Prima novos motus conflabat Lika; ſub arce
Egregii Peruſic' ſtabant tria millia in armis
Gazkenſes campos aditura. ſed hocce benigni
Prævertunt ſuperi ſcelus, ipſo in limine preſſum.
Lata etenim fama, bis centum ac octuaginta
Seňonii Cives in eodem barbara campo
Caſtra petunt, Turcos cædunt, plus mille peremptis,
Inque fugam verſis aliis, aliisque ligatis
In prædam ductis, redierunt. ſic malè cauta
Vis non tuta ſatìs propria perſiſtit in æde.

Hoc ipſo Sibenik urbem Thrax obſidet anno
Cùm rectè Cives aberant loca Turcica prædis
Acturi: à patriis matronę fortiter hoſtem
Arcebant muris, donec rediere mariti,
Et docuere illinc confuſum cedere Thracem:
Eſt ſua pro Patria muliebri in pectore virtus;
Nec mortem metuit ſervandæ prolis amore.

1570. Inter bellorum motus, turbaſque recentes
Graſſatur mox tetra fames, multoſque meorum
Extinguit tacito letho. mortalibus eheu
Tarra parens alimenta negat malè provida: tantùm
AErumnis homo ſe poſſit cognoſcere natum.

1571. Ingenti pelagum Thrax claſſe excurrit: & illinc
Pars Cypro gaudet: Cretæ pars oppida vaſtat:
Parſque Cephalenem ſaxoſam, almamque Zacynthũ

Ol-

Olchinium, Antibarumque capit: Corcyra Melęna
Summam vim patitur, jam deficiente virorum
Robore, in extremum discrimen adacta salutis,
Inviolata stetit muliebre Melæna valore;
Igne cremata Pharus, Rex hinc Demetrius ortum
Duxit: & augustæ in prædam cecidere Salonæ,
Regalis sedes, venerata Quiritibus olim,
Primaque Præsulibus decorata, ut Titus in ista
Discipulus Pauli, pòst Petri Domnius urbe
Divini jecit sanctissima dogmata verbi.
Atque ut prætercam Sas, Dazliniam atque Rakitac
Et Zemunik Jadræ vicinum, pluraque circùm
Castella & pagos, fama inferiore notatos,
Incutit Adriacis terrorem barbarus oris;
Fortuna tumidus cunctis volet esse timendus.

Nec satìs Illyricam visum est compescere terram,
Italiam in prædam manibus missurus avaris
Ingenti classe Adriacum perterruit æquor.
Sed Superi in melius vertunt, quòd sanguine Turco
Turbatas Neptunus aquas exhorruit alti,
Et scopuli Echinadæ memorabile nomen adepti.
Quinq; & viginti ceciderunt millia Thracum,
Quatuor capta simul cunctis cum navibus: ultro
Christicolarum hominum bis septem mille redempti.
Supremus rerum voluit sic arbiter; ut nunc
Lætitia in tristem solvatur maxima luctum,
Nunc desperatis veniant solatia rebus;
Ut mortalis homo superos reverentiùs oret.

Nil annis aliquot tentavit Turcus ab Unna
Flumine; quem contra vigilavit Slunius heros
Castra locans, majus metuebat ab unde periclum,

Armatus ſemper: qui binis nec ſemel annis
Tecta domus ſubiit, Patriæ Pater inclytus; aſt heu
1572. Impia, dura, mihi mea ſors invidit & ipſum,
Sæva illi Lacheſis florentis ſtamina vitæ
Præſcidit, multis quæ Cloto ducere luſtris
Debuerat: ſi quod pretium cenſetur amoris
In Patriam, fidei in Regem, pietatis in Aſtra!
Neſtorea fuerat vita digniſſimus Heros.
Nec metuit mortem Prorex fortiſſimus, ipſa
Indolui mortique ſuæ, metuique pericla
Eventura mihi, ſcuto orbæ: nempe malorum
Nil illi mors eſt, qui jàm contempſerat illam:
Aſt cuj rem charam tollit mors, dura profectò eſt.
Nec tibi, quàm lacrymas, plus Patria reddere poſsũ,
Et laudes, Sluñi Franciſce; in pace quieſcas!
1573. Non ſat fortè putant, tot letha forìsque domique
Me fera fata pati, vicinos aucta per hoſtes:
Ne mihi quid deſit quacunq; ex parte malorum,
Plebs inſana nova nunc ſeditione laborat,
In dominos armata ſuos, detrectat aratrum:
Grubeciumque ſibi Regem præponit, honorem
Libertatis amas, non vult plùs ſubdita dici.
Attonito primos dum volvo pectore motus
Vicinam ſpoliat Sigetanus Turca Kanizam
Iumentis & equis, cæſorum mille virorum
Colla refert, prædæ victricia ſigna cruentæ,
Et bina abduxit tormenta curulia ſecum.
Præfecti fuit hic error, qui tempore pacis,
Non Belli tantùm, debet vigilantior omni
Milite commiſſum munus curare, locisque
Proſpicere, vnde ſalus dependet publica regni:

Atq;

Atq; magìs ſemper quantò eſt vicinior hoſtis:
Vel conjurato, cuj non eſt fidere tutum;
Ad mala noſtra etenim ſemper vigil excubat hoſtis.
1574. Jam pax cum Turco Venetos delectat. Iberos
Ex Africis turbat crudelis Barbarus oris:
Corcyram flammis vaſtat ferroque; Ducatum
Moldaviæ Valahosque ſuo per ſangvinis amnes
Subjugat imperio. Panovic' meliora Joannes
Præſes Ivannicii mihi muntiat; iſte potentes
Turcorum turbas aggreſſus milite pauco
Fudit & è patria cum cæde recedere adegit;
Virtuti & juſtæ comes eſt ſors proſpera cauſæ.
1575. Gubecii regnum ferro funique reſolvo,
Ipſe ſub ignito exhalat diademate vitam,
Quod meruit: malè nam miſcentur ſceptra ligoni;
Naſcitur ad regnum Princeps, Superique coronas
Donant: infirmum eſt absq; armis æreque Regnum.
Dum privata domi mala ſic caſtigo meorum,
Ingentes contrà molita eſt Turcia motus;
Jam Ferhat Boſſnæ Præfectus plurima ducens
Agmina bellantum Radoñæ ſe ponit ad amnem.
Obvius infeſtis Herbard Auſpergicus armis,
Arceat ut Paſſam noſtris à finibus, arma
Conſerit, ùt cauſa juſtus, ſic ſtrenuus auſu,
At fato adverſo: Turcis ſors impia favit!
Funditur in noſtris & dux & miles in oris,
Perque truces cædes Turcis victoria cædit.
Occiſi Herbardi canum caput impius hoſtis
Corpore diſſectum Bizanti miſit in urbem
Percharum munus Sultano: in vincula duxit
Herbardi natum, generoſum Kíekovic' auſu,

Voj-

Vojkoviumque virum fortem per vulnera lassum:
Jankovium Zarkumque duces: & tympana cuncta
In prædam Ferhati vexillaque Martia cessit
Impia sors: nostros superat numerosior hostis
Commoditate loci prærepta. Auspergius antè
Non fuit ex Turco dimissus carcere, ponte
Quàm posito in Vyrbas & turri condita in Unna:
Sic ipsa, adversus me, munio debilis hostem:
Expensis majora meis mihi comparo damna.

Deserta a veteri tunc Bela-stena colono,
Improtecta loco murisque cadentibus, hosti
Deditur: his patrios pòst offensura penates;
Continuò crescit mihi major gentis egestas.

1576. Jam Ferhat Auspergi miseranda clade superbus
Ad prædas animos acuit magìs ipse suorum,
Et Buzin Czazinque, duo primaria castra
Hocce statu rerum misero tristique mearum,
Vi capit & vicina illic quamplurima circùm
Castella: unde mali perculsa timore recentis
Plebs dispersa, lares patrios quàm mæsta reliquit,
Quærere adacta novos trans Muram Danubiumque:
Unde frequens loca vasta illic colit usque Croates.

Sed, ne fortè malo quæ pars intacta maneret,
Invidit Señæ virtuti tristis Erinnys;
Illa etenim Belli studiis terraque marique
Floruerat, Turcis incommoda plurima patrans,
Captorum quæ sæpè greges in vincula duxit,
Cæsorum pinnas urbis cervicibus ornans,
Ditavitque lares spoliis, loca multa tributis
Corbaviæ Licæque suis, Mukarumque vetustum
Adstrinxit: veterem cogens & ab æquore censum,

Adri-

Adriaci de Jure Maris persolvere Turcos,
Hebræos, Græcos; reliquos mea Seña sinebat
Christicolas commune æquor sulcare quietos;
Quamquàm etiam reliqui quondam, Veneti que po-
Regibus assuetum Crovatis solvere censum (tentes,
Debuerint, pelagi Seña custode Liburni.
Cuj, sese postquam vidit, nil posse nocere
Thrax, Venetos socios vocat, ut terraque marique
Sic gemino Mavorte priùs cadat obruta Seña:
Nec se fortunis opponat jam unica Turcis.

1577. Thrax alibi interea fortunæ vela faventis
Explicat; haud tutò, ratus, esse adamantina telis
Pectora fraxineis petere: Unnam trajicit amnem,
Mutniciam Zriñi, Blagaïq; Ostroζac arces
Faustiùs expugnat: Zraçicem cremat igne, Topuskæ
Castellum Abbatis. Pòst magnì nominis arcem
Zriñ iterum oppugnat, fatis ad vota secundis:
Namq; absente procul domino, non tanta stratego
Cura fuit tutandæ arcis; qui malluit, ipsa
Amissa, vitam captivam ducere quàm si
Tam proprium munus, quàm heroï stemmatis ædem
Sanguine signaret, prætiosæ laudis amore.
Non omnes Petræ sunt duræ; at mollior ista
Nomine utroque fuit: quæ Zriñi colle in acuto
Atq; inter muros Turcos expaverit enses.
Pace tua, Martyr Zriñi Niclaë, videres
Hunc arcis casum, servato sangvine lapsæ:
Damnato, optares, duce, mox nova letha subire!
Sed desperatis Zriñanam rebus ad arcem
Quid moror? infectum nullis valet esse querelis
Quod semel est factum! jàm capta Turcus in arce

Excubias contra me ponit. Vix ego mœſtos
Zriñiacis oculos flecto de collibus; ecce
Audio captivæ ſuſpiria mœſta Kladuſſæ,
Frangapanæ arcis: caſtrum quoquè cerno ſubactum
Sturlitii, Pozuezd captam arcem Farkaſiorum
Et Pec' Turçitii: centenaque prædia circùm
Aut hoſtile jugum collo tolerare ſubacto,
Aut ruere in cineres! divorum templa tyranus
In ſtabulum convertit equis: ſacra cuncta profanat:
Raptat opes: ferro mea pignora mactat ad aras,
Vinctave Barbaricis abigit venalia terris
Crudelis mango! Quàm durum triſteque genti eſt,
In libertate aſſuetæ vixiſſe, penates
Deſerere, & ſervile jugum ſufferre Tyranni!

1578. Anni principio malè ſolor mæſta ſequentis;
Arx Gvozdanſka ſitu magè delicioſa ſuperbo
Quàm fortis, licèt à ferrò ſibi nomen adepta eſt,
Rectiùs omnino cùm dici argentea poſſet;
Hæc quoque ter ſeptem poſtquam defenſa diebus
A noſtris cum laude fuit, cunctiſque peremptis
Igne, fame, atque ſiti, cadit in hoſtilia vota,
Zriñiadum Comitum Vernali tempore ſedes.
Sic ſervaſſe fidem per triſtia letha probatam,
O Nati, decuit. Non eſt hæc actio mors, non:
Aſt ad perpetuam felix migratio vitam;
Pro patria, ante Deum ac homines, obiiſſe, decorũ eſt,
Ad Colapim Turci penetrant, veteremque Dubo-
In cineres redigunt injectis undique flammis, (vac
Urbs ùt aperta patet nullo circudata vallo,
{Lignea tota, & opus primævæ ſimplicitatis,
Cuj aliunde idem formatur ab arbore nomen.

At

At paulò pòst hìc pœnas luet impius hostis
Señonia fractus dextra. Sic sæpè fit; ut, qui
Fortunas avidè vorat, & malè digerat ipsas.

1579. Proficit adversus communem fortiter hostem
Seña vetus, paucis sed fortibus inclyta natis,
Egregios de Thrace frequens ducendo triumphos.
Immitis quanquam Thrax sit, ferus atque cruentus,
Cedit & ipse tamen plagæ mortisve timore.
Hinc postliminio Bużin arcem Kegleviorum,
Et Czazin castrum Prælati Tininiensis,
Ac vicina Unnæ quædam castella recepi:
At servare diu patria sine gente nequivi;
Ex facili, paucis oppressis, fortior hostis
Amissas arces jura ad violenta redegit,
Jam mihi longinquas, Colapi Savoque tuendæ;
Sic uno ex damno mihi plurima damna sequuntur.

1580. Bis sub Zteniçñak, Colapiniq; amnis ad oram
Excurrunt hostes post annum. Sed meliore
Sorte favente mihi: cæsi pulsique recedunt.

1582. Jnde mei Udviniam prædantur: Barbarus isthinc
Prædatur Sluñam, mediat quam Sluņçica flumen,
Præcipitans sese millena per ostia in amnem
Trutiferum, nomen cuj dat Korenicza, Korannæ.

1583. Ad Colapim pagos, quos Pribanci nomine dico
Diripiunt hostes; trajectoq; amne propinquam
Japidiæ veteris partem (nunc Slavnica Marcha est)
Dirè funestant; peditatu sub Bosilensi
Arce relicto: faustè hunc mea turba peremit,
Ipsa perempta dein redeunte ex Japide ab hoste;
Ut sæpè incautæ nocuit victoria turbæ.

1584. Ad Belli ferias redeunt Murat atque Rudolphus:

Mox tamen exſpirant feriæ, redeuntque Gradivi
Feſta cruenta decem Turcorum millia Carnos
Latè prædantur pagos, ſpoliiſque ſuperbi
Cùm reditum facerent Sluñæ viciniùs arci,
Aſſequitur Banus Thomas & Turrius hoſtes,
Illiciti facti gladio cum vindice pœnas
Exigit: &, cæſis partim partimque fugatis
Hoſtibus, egregius Dux libertate priori
Captivam gentem donat, prædasque remittit;
Tanti vicinum prodeſt habuiſſe fidelem.

Taliter à Carnis Thracum pars una redivit:
Major at in Slavnos numero ruit altera campos:
Zriñius infenſis occurens hoſtibus, omnem
Barbariem terret magna cum ſtrage notando
Perfidiæ teſtem campum: retulitque Kaproncæ
Viginti ſigna, & cæſorum colla virorum
Supra bis centum prope ſexaginta, quibuſcum
Mœnia Kaproncæ victor pro laude coronat;
Fructibus his ruptæ pacis fruere, impie Turca.

1585. Raptibus aſſuetæ nova pergunt agmina gentis
Modruſſenſis agri deprædatura Colonos;
Jàmque Jeſeniçkæ noctu inſedere per arva,
Cum ſpe, cras prædas abigendi. Aſt impia vota
Prævertit Deus omnipotens; nam nocte ſub illa
Cæditur à noſtra dirè plebs barbara gente;
Sic Dij prædonem rarò patiuntur inultum.

1586. Turgidiore dein Peuçenſes & Sigetani
Robore pervadunt fœcundos gramine campos
Quos illinc Muræ Dravi hinc duo flumina cingunt
Aurifera: & pagos, caſtellaque lignea terræ
Diripiunt, flamiſque cremant, miſerosque colonos
Ad

Ad juga quingentos ducunt servilia vinctos.
Hoc primo Autumni mense accidit; ast hyemali
Majus quod facinus tentabat Bossna per Unnam
Transgressa ad Colapim: Cœlo sed vota juvante
Insontis populi: quanquam fortissima Thracum
Agmina disrumpo, numero impar; ense peremptis
Pluribus illustri & fama & stirpe decoris:
Inter quos deflet Sultani Bossna nepotem
Atque sui Passæ fratrem: captosque reduxi
Præcipuos splendore hostes: reliquosque fugavi.
Sic, cui opem clemens adfert in prælia Cœlum,
Illi etiam certam nectit victoria laurum:
Cùm nihil absque Deo est, cujus stant omnia nutu.

1587. Tristis & impatiens nuperni Turcia damni,
In me quina movet cum quatuor millia Begis,
Ulcisci cladem statuens & damna suorum.
Hi jàm Moraçam, Dobronaces atque propinquos
Quinquaginta illic pagos prædando, redibant
Penè bonis avibus lætum Pæana canendo,
Ni Zriñi occursu, mutata sorte priori,
Sistere debuerant; nam dum petit ipse suorum
Damna; vno quatuor Begos perterruit ense,
Non secus àc flumen; plusquàm duo millia Thracum
Atque Mohaçensem Begum transmisit ad orcum:
Mille & tercentum cum Begis inde duobus
In vinclis duxit: prædam numeravit equorum
Mille & quingentos; capita hostica sola Kaniza
Quadringenta tulit, cuj Zriñus præfuit; ultrò
Christicolas captos & prædam liberat omnem.
Cum Zriño fuerant tantum bis mille virorum;
Undecim ab his Turco ceciderunt ense perempti,

Bis totidem hoſtili redierunt ſaucii ab enſe.
Fauſta favente Deo juſtis victoria cedit:
Jugiter ò cedat! quò grata frequentiùs hymnos
Laudis ei cantem. gratum mens læta holocauſtum.
1588. Aſt & in Ungaricis ſubvertitur alea terris
Turcorum ſorti. Bizantî urbs regia flagrat
1589. Internis accenſa malis. mea Seña bis uno
Profligat, ceditque die Turca agmina victrix;
Affliguntq; hoſtem majori ſtrage Koſacci.
Plena ut lætitiis, jàm tum rediiſſe, putabam,
Tempora: quejs Turcum, vi, fraude doloq; paratũ,
Pignora in amplexus matris. quod grata dediſſent
Numina, Chriſtiadum concordia dummodo Regum
Communem hoſtem adverſus juſta arma levaſſet.
Aſt hi perpetuò privata febre calentes
Seſe odiis ſcindunt: ne prægrandeſceret alter.
Concidat Imperium: rurſus videamque redire
Sic mea me fallunt pia vota; novique dolores
Poſt brevia eveniunt ſolatia. fallimur, inquam;
Omnia fortuna, nec jàm virtute, reguntur.
Nam converſa brevì Turcis mox alea favit:
Qui cæpêre phalas (mihi ſunt pro turribus iſtæ)
Erectas inter Csepic' Ripaҁque, peremptis
Viginti octo viris. cecidit Ripaҁque deinde
Præſidio amiſſo, fidei de fraude perempto,
Non quo auſu decuit. ſic ducitur hoſtis honeſto.
1590. Telluris tremor haud vano nos omine terret:
Quo ſic arx fuerat veteris concuſſa Kaniȥæ,
Ut media de parte, ruit, nec paucus in illa
Obrutus interiit miles. Sed triſtior alter
1591. Annus adeſt; Turcæ nocturno tempore muros

Ur-

Urbis Modrussæ rumpunt: jàm præscii abesse
Urbe viros: totam spoliant & depopulantur,
Injiciuntq; ignem tectis. Sic celsa Modrussa,
A Bella Quarto donata potentibus olim
Nobilibus Veglæ, ruit unquam vix reparanda;
Quæ modò per tristes ostendit nota ruinas:
Omne, quod humana extruxit manus, esse caducum.
Tunc Hassan Bosnæ Præses multo agmine fultus,
Zagrabiam tenus igne furens, loca plurima vastat
Nobiliumque domos: victorque ingentia ducit
Agmina captorum, prædasque superbus opimas;
Haud tamen ex omni successûs parte beatus.
Ad Gradec etenim castellum Zagrabiensis
Præsulis, assequitur miles postrema latronum
Agmina Crovatus: duro & certamine victor
Nostrorum captos centum quater eripit: hostes
Septuaginta duos cœpit, sub tartara missis
Mille aliis: vexilla tulit bis dena duoque
Hostica, & ob pluvias tormenta immersa paludi.
Est aliquod mæstę læso solamen in hoste;
Sed mea damna malo non solvit Turca recepto.
1592. Ipse novo motu Plaskensem venit ad arcem,
Perrupto veteri muro, custode perempto,
Injecit flammas tectis; servare quod hostis
Aut aufferre nequit, consumit ab igne voraci.
Urbs Rastoviciæ Latiis Crescentia quondam,
Nonnullis pravè jam nunc Hrastovica dicta,
Cum supra posito castello, colle in amæno,
Hinc Ursini, illinc Claudî juga montis aperto
Prospiciens vultu, Colapis vicina fluenti,
Subdita Zagrabiæ Prælato: milite pauco

Tecta

Tecta, hostile jugum subiit Crescentia tristis:
Quæ pridèm cœpit decrescere: donec & ipsa
Expertura sui casum, cognoverit olim,
AEternùm sub sole nihil persistere posse.
Hassan, ut illustret conceptum nuper honorem,
Plura trahit secum Turcæ modò millia gentis
Jzaçichi primùm capit arcem: dinde Bihachum
Belæ Regis opus, castrum simul atque recinctum:
Hoc malè defendit Lambergus, Cæsaris illic
Præsidii rector, quem nulla coëgit egestas,
Nullaque vis, tutus & Cive & mœnibus urbem
Dedidit antediem Hassani sed turpè deinde,
Signiferi ob scortum, forìs est cum milite cæsus,
Et cum gente mea. Sic culpa unius iniqui
Pluribus innocuis nocuit. mihiq; inde ruinæ
Magna secuta fuit pars, ò quando reparanda!
Pulchriùs extiterat Bihig'on signasse cruore,
Quàm vitam ob scortum, ac ob vitam perdere famam.
Ad Colapim & Savum descendit Passa; Petrinam
Fundat, ubi in flumen Petrinçica funditur amnis:
Ponte jugat Colapim, turbisque frequentibus inter
Regia, fœcundum vastat, duo flumina, campum;
Pagos igne cremat spoliatos antè, domosque
Nobilium evertit; captæque frequentia plebis
Agmina ducit ovans, mea pignora vendit & hostis.
Spes lucri Turcis animos aliunde feroces
Exacuit; quô quisque magìs de sanguine potat
Christiaco, sitit inde magìs: mens ebria laudi est.
A radice malum conatus tollere Prorex
Vicinas patriis vires adjungit, ut arcem
Evertat cum ponte novam: cùm castra locare

Ad-

Adverſa in ripa ſinuoſi tenderet amnis,
Irruit à tergo Thrax inſperatus & undis
Occluſum, privatum iſthmo, nullique paratum
Pugnæ, confundit, plagaq; ingente repulſum
Inſequitur. triſtem patitur mea Savia ſtragem,
Hanc patitur Turopole olim Tauriſcia dictum:
Ambo etiam latè Kolapini fluminis oræ
Nullo obſtante patent prædanti diriùs hoſti:
Ut ſine præſidio. vicinia longa per iſtum
Contremuit caſum, propriæ metuendo ſaluti;
Res cujuſq; agitur paries cùm proximus ardet.

Tanta noſtrorum de clade ſuperbior Haſſan,
Siſſiam in occurſu Kolapis Savique jacentem
Obſidione acri premit, ignivomique metalli
Crebra glande quatit, vaſtas faciente ruinas:
Et jam turmatim ſalit has temerarius hoſtis;
Sed vanos poſtquam conatus cerneret omnes
Haſſan, per placidas artes ſibi dedier arcem
Poſtulat. At Mikaſic, vir fortis, presbyter æquus,
Arci præfectus, poſcebat præcipuorum
Agmina Turcorum, tantam queis cederet arcem,
Vilibus indignam tradi: portaque patente
Quingentos recipit, demiſſoq; ad oſtia clathro,
Interimit cunctos. Quo vulnere Paſſa recepto,
Siſſiacis pòſt multa plagis minitatus abivit.

Hæc me Savanis dum fata morantur in oris,
Illinc exclamat divi ſuper urbe Georgî
Dravus: quam Turci nocte invaſere ſub atra
Civibus oppreſſis & multis enſe peremptis,
Ter quinquaginta captis, rapido igne ruinant,
Trux auceps, capto qui deſtruit alite nidum.

Extremis ſum clauſa malis; jam fidere Dravo,
Nec Kolapi, Savove licet; patiuntur iniqua
Flumina barbaricam tranſire impunè cohortes
Et patrios infida ſinunt ſpoliare penates;
1593. Non ſatiatus adhuc noſtrorum cladibus Haſſan,
In nova conſpirat totius funera gentis
Illyricæ; Chriſti ferus oſor nominis: at qui
Chriſticolis natus fuit ipſe parentibus olim
Pridoëvic' ſtirpis; conflatas undique turbas
Armat in exitium noſtrum; pòſt Norica regna
Threïciæ Italiam cupiens ſubmittere prædæ.
Sultani juſſu, primùm vel ſubdere Señam
Turcorum imperio, vel verò evertere totam
Debuerat. Señæ florebat Martia pubes,
Continuò Turcas quæ ſola laceſſere vires
Auſa fuit: ſed Thrax ut fortior impetat urbem
Señoniam, Venetos ſocia exhortatur ad arma.
Ut tamen Haſſani cedat ſine ſanguine præda,
Señonios ſcripto pro deditione requirit,
Nève probent extrema pati, graviora minatus.
Aſt illi factis, non verbis, militi agendum,
Reſpondent: veniatque, vocant, cum toto Oriente:
Ornata inveniet portas, ſciat, urbe patentes:
Ipſi & in alpinis tanta agmina Turcica pratis
Excipient, nullo veſtiti pectora ferro,
Non clypeo, interulis tantùm nudiſque lacertis,
Armati propriis peltis. Hæc altiùs Haſſan
Perpendens, ſuſpendit iter, mutare paratus;
Non cœpiſſe, magìs, malè quàm finiſſe, decorum eſt.
Interea ne quo Turcos metuiſſe videri
Seña modo poſſet: Likenſes mittit in agros
Matthi-

Matthiam Daniçic', qui ſegnem provocet hoſtem
Virtutum veteris ſatiùs cognoſcere Señæ.
Ille manu parva cum magno dimicat hoſte,
Et victor multis cæſis, multisque ligatis
Hoſtili in terra, præda ſat grande potitur.
Sed vix contiguum Scriſſæ pervenit ad æquor
Cuſtodis ratium, cùm Turca, in proximo agentem
Acceſſit, præiens, Venetum erudiendo Thalaſſum
De caſu, atq; illo ducenda littore præda:
Obſecrat occurſum, qui tanta incommoda ſiſtat.
Appellunt ſeptem Venetæ ad mea littora naves,
Captivantque meas, & prædam cedere cogunt;
Denegat hanc Daniçic': patria dum nactus ab Urbe
Succurſum paulò pòſt, navibus injicit ignem,
Cum Venetisque ſuas comburit: ne mare tandem
Alterutri faveat. Venetasq; in littore turmas,
De præda ſimul ac vita certare coëgit,
Et quos enſe nequit fugientes, conſecrat undis,
Sic juſtam victor prædam conducit in urbem.
Hinc inter Venetos Senonesque offenſio major
Incrementa capit; licèt his mens nulla nocendi
Chriſticolis fuit: at Venetis ſuſpecta veniret
Plùs ſemper Senonum virtus; ne forſitan olim
In maris imperium redeant de jure Liburni;
Quiſq; amiſſa dolet, ſua quiſq; ùt parta tuetur.
Non auſus contra Señam procedere Paſſa,
Ad Kolapim vertit, Siſſanamq; impetit arcem
Antè laceſſitam. Quàm lata eſt Savia tellus
Ad Kolapim flumen, quàm longa ad rura Turonis,
Nil niſi Thrëiciæ video tentoria gentis.
O miſeram, quam omni fiducia parte reliquit!

Arx quaſſata feris noctuque diuque baliſtis
Aſſultu crebro petitur, jàm diruta magna
Parte ſui, extremum tamen expertura periclum,
Non ceſſura hoſti, vel in uno milite ſpirans.
Qua tam grande malum vi, formidabile toti
Europæ frangat Prorex in limine, multum
Cogitat, & ferro tentanda extrema reſolvit;
Cum Patria potiùs forti, ratus, eſſe cadendum
Quàm Patria amiſſa per barbara regna ligatum
Mancipium duci, tractis conſortibus iſthinc,
Diſperſis illinc natis: cùm nomine Slavno
Indignum facinus reputet, ſe ſubdere Turco.
Arma levare viros cogit, quicunque ſuperſunt
Cladibus è tantis. agitur ſuprema ſalutis
Cauſa piæ Patriæ; ſuperi fortaſſe juvabunt
Juſtam bellandi ſortem; aut occumbere ſi fors
Fata dabunt: non eſt mors hac prætioſior ulla;
Hac ipſa verum Patriæ teſtemur amorem.
Auxilia interea veniunt à Rege Rudolpho,
Quæ Comes Andreas Auſpergicus enſe præibat:
His ſociis Prorex, acies denſo ordine ſtantes
Impetit hoſtiles; primusque Turocius omnem
Suſtinuit belli molem; primasque phalanges
Dum fregit victor, reliquas dare terga coëgit.
Ordine confuſo miles fugit atque Strategus,
Quisque petit pontem: nimio ſed pondere fractus
Pons ruit, at de ſe firmum prima agmina pontem
Conficiunt, turbas paſſum tranſire ſequentes.
Devorat Haſſanem Kolapis, clarumque Sinanem
Kliſſenſem Begum regali ſanguine natum,
Præcipuosque Duces, bellatorumque cohortes:

Pars

Pars in aquis periit, pars ense perempta remansit:
Raros effugium salvavit. Sissia tandem
Halitu in extremo fessum caput erigit, hoste
Disparente, sui Proregis lumine fota.
Tunc lætas grates superis decanto benignis,
Quorum divino fiunt & prælia nutu,
Et desperatis redeunt solatia rebus.
Tunc quoquè Romanus nobiscum jubilat orbis,
Incolumis nostra quia perstitit ille salute.
Tantum momento rerum dependet ab uno!
Vix mea tam celebrem vulgarat fama triumphũ,
Dum mihi mœsta novos declamat præfica luctus.
In rabiem versus Murat hac ex clade suorum,
Nec minùs ob, nati lugentem fata, sororem:
Cum valido Exarchum Bellonæ robore mittit,
Turcorum damna ulturum, mortemque Sinanis.
Et jàm Kupçinnæ pagos pars una tenebat,
Quam Petrus Erdędus magna cum strage repellit.
Centum sed pedites Sissana non procul arce,
Egregios juvenes Turcus mihi sustulit ensis.
Obsidet at major Sissanam exercitus oram:
Utq; oppugnatam, defensam fortiter, arcem
Tandem vi magna capit: omnes ense trucidat
Et jacit in Kolapim, pretiosam piscibus escam.
Primus Granja arcis capitaneus ipse sacerdos
Inter tela cadit; captus Fabricius alter
In Constantini Sultano traditus urbe:
Impositus sacco moritur projectus in æquor,
Ecclesiam Patriæ decoravit martyr uterque.
Sic tandem infausto cecidit mea Sissia fato,
Fertilitate soli piscosisque amnibus uber,

Atq; uber verè, ſiſſak vernacula dicit;
Ubertas terræ bellorum incommoda gignit.
Procedit contra Kolapina fluenta, Goramque:
Tale arci nomen patrio de monte remanſit,
Auranæ hanc Equites quondàm tenuere: ſubegit
Juribus Odryſiis ferus hoſtis. & inde reflectit
Trajecto Kolapi, trajecto flumine Savi,
Zagrabienſem agrum percurrens obvia quæque
Et ferro & flammis vaſtat, gentiſque Croatæ
Millia quinque jugo trahit exercenda perenni,
In patrios aliquando ignem latura penates:
Ac ſi jàm noſtræ non ſat foret ipſe ruinæ.
O miſeras hominum tam crebro in turbine ſortes!
Vix plauſum excipio, ſequitur mox cauſa gemendi,
Et bellum ex bello mihi naſcitur. Erigit hoſtem
Sors adverſa mei, ſed fauſta exaſperat. Inter
Tot mala quid faciam? Virtus generoſa labore
Frangitur aſſiduo: robuſtas mœror acerbus
Attenuat vires! non tam conſummitur annis
Ac curis ætas hominum. Quæ ſingula longo
Tempore paſſa fui! Quò me covertere jam nunc
Debeo, quàm ad Superos? Superis ſubmittere mentē
Ad ſortem quamcunque decet. Vi nulla profectò
Aut virtute hominum mutatur cœlicus ordo.
1594. Ne ſed in hac, miſera quantumvìs, ſorte tuendi
Poſtremos Regni fines modicamque ſalutem,
Argueret me quis torporis fortè: quietum
Cur patior Turcum rebusque locisque potiri
Sæpè mihi ereptis? Proregem, Lenkoviumque,
Inſignes pietate Duces pro Patriæ amore,
Expedio. Primùm capiunt nova caſtra Petriñæ,

Com-

Complanantque ſolo. patriis Creſcentia ab armis
Vim pariter duram patitur, ſed & ipſa jugatur:
Et Gore ſe patriis ſubmittunt juribus: Hoſtes
Effugiunt Siſſak, poſt ſe tamen igne cremata:
Expugnata redit quoquè Caſtaneapolis: aſt hæc
Defectu juvenum paulò pòſt capta receſſit.
Urbs Bihac' in prædam datur, ex qua mille meorum
Ducentique olim capti ſalvantur, in arce
Manſit inoffenſus dura inter mœnia Turcus.
1595. Contrà Cernikii (Cirtiſſa vocata Latinis
Olim) Beg longo ſpatio telluris ad alpes
Carniolas multo cum milite tranſit: & illic
Innumeros pagos, caſtellaque ditia prædo
Exſpolians, alio reditum cùm tramite vertit,
Amiſit prædam, & pœnam pro crimine ſolvit.
Conſcia nam facti ultricem mea Seña juventam
Miſit, & horrenda punivit clade latrones,
Omniaque implevit captis ergaſtula Turcis,
Chriſticolas Patriæ, libertatique remittens.
Fatalem experta eſt ſemper ſibi Turcia Señam.
1596. Amiſſam Kliſſam memori Señana juventus
Aſſiduè volvens animo, patrumque ſepulchra
Ni quando hoſtili fortaſſe cruore litaret,
Dedecus & crimen putat eſſe, nec ultrò ferendum
Ingenuæ pubi. Juvenum mox deligit agmen,
Et Bartuçitio duce Kliſſam mittit ad arcem,
Manibus ut ſolvat patrum pia juſta ſuorum,
Qua decet in campis atque hoſtia ab hoſte petita.
Illi prævalidam penetrant audacter in arcem
Largiter effuſo Turcorum ſanguine in illa
Mœſta rigant juvenes genitorum buſta piorum:

Rega-

Regalisq; arcis claustrum pro Cæsare servant.
Turcus at innumeris confestim viribus auctus
Cingit Señonios jam pane & fonte carentes.
Perdurant fortes juvenes, dum Patria natis,
Heu longinqua nimìs, succurreret: antè parati
Igne, fame atque siti, vel telis emori in arce,
Quàm sese vivis Turcus potiatur eadem.
Ictibus assiduis obsessam verberat arcem
Hostis, & indomitæ minitatur quæque Juventæ
Supplicia infandæ mortis. perdurat at illa,
Omnia prompta pati, quæ sors admiserit, antè
Quàm vivens arcem sinat hostì. jàmque caballi,
Feles atque canes deerant, mus rarus in arce est,
Perones, coriumque viris fuit omne comestum,
Stante fame: duramque sitim tellure vorata
Sedabant: dum præses opem Lenkovius arci
Attulit obsessæ, potuit quam, patria ab urbe.
Castra inimica petit subitò, consternat & hostem,
Militibus prædam ditem sinit, hoste fugato.
At cùm respiceret tutus de collibus hostis
Vix peditum mille esse viros, equitumq; nec ullum:
Miratus, fugiat cur tanta potentia Thracum?
Assumit vires animo, convertit & arma,
Ac, velut in pelago mersa trireme natantes
Naumachæ ab innumeris perierunt sæpè procellis,
Sic in Klissano paucos vis barbara campo
Oppressit Cives, campoque potitur & arce.
Hìc pius oppetiit cum Cive & Nobile Judex,
Oppetiitque sacro totus cum Præsule Clerus:
Altera Klissano quæsi Seña maneret in agro.
Hìc animi non parva mei pars concidit. Arcem
Insi-

Insignem, & fortes amisi Patria Cives,
Queis protecta fuit Regni pars magna, propinqui
Carnioli ac Histri. Quorum persępè valorem
Pertimuit summus terras qui terruit hostis.
Talibus humanæ vicibus res usque feruntur,
Gaudia ut excipiat luctus. sic omnia, plena
Casibus, in tristem labuntur prona timorem.
Isthæc Adriacis clades me terruit oris;
Ad Kolapim nova damna patrat mihi barbarus hostis:
Arcem nempè capit, stirpis sedile Budaçki,
Buçça cui nomen, Latiis anguria. Nostri
Castaneapoleam consummunt ignibus urbem.
At veniens hostis magno cum robore, nuper
Vastatam à nostris reparat munitque Petriñam.
Hanc iterum nostri capiunt victricibus armis;
Oppugnatque novò Thrax, frustratoque labore,
Cum summo propriam cessit mœrore Petriñam;
Gaudeat ut Turco vel sola Croatia raptu.
Threïciis illinc Fabianam Zriñus ademit.
Hanc iterum repetunt hostes gravioribus armis:
Mox Zriñi adventu perculsi castra resolvunt:
Ut desperatis fuga proxima rebus adhæret.
Sic mihi, sic Turcis annus fuit iste cruentus,
Vendita utrinque cruor pariter solvebat & empta.
Ancipiti semper fortuna bella geruntur.
Utque domi feriat me quo sors dura dolore
Me binis privat modico sub tempore Banis.
Cùm senio, belli tum curis atque labore,
Confectus Thomas sceptrum banale reponit,
Officium abdicit: cui Præsul Zagrabiensis
Ztankovaçki cum Draskovio succedit. at ecce

Paulò pòſt fatis concedit. Scilicet actum eſt;
AEtati nulli, nulli mors parcit honori.

1597. Oppugno gratìs, demptæ mihi, Caſtra Veroçæ:
Quam natura loci ſimul ars defendit, & intus
Fortia Threïciæ inter propugnacula vires;
Heu, quòd & ipſa mihi mea fabrica dura reſiſtat!

1598. Retia Mrizniciæ nomen fatale dederunt,
Quæ prope Karlopolim fluvio commixta Korannæ
Efluit in Kulpam: cum culpa tum ſine corde:
Nunc homines capit illa meos pro Thracibus eſcam,
Cùm mihi ſæpè neget petroſo in flumine piſces.
Turba potens Thracum Bihachenſi ſubdita Bego
Traxit ad inſidias Germani militis agmen,
Ignarum Turcæ fraudis: ſaltuque repenti
Compulit in flumen; multi merguntur in undis,
Pars telis occiſa perit; Comitique Blagajo
Urſinæ ſtirpis, Turcus caput amputat enſis.
Taliter inſidiis & fraude doloque triumphos
Solicitat, quos Marte ſibi non fidit aperto,
Thrax ferus: & contra putat hoſtem cuncta licere.

1599. Hac rerum dura ſub tempeſtate mearum,
Carnos atque Hiſtros & per fora Julia plebem
Vexabat nimiis, hominum fex impia damnis,
Urebat flammis, ferro mactabat, & ædum
Diripiebat opes, patrans genus omne malorum.
Impatiens ſceleris tanti mea Seña, latrones
Cum duce quoſque capit, paliſq; à tergore fixos
Infami at digna punivit morte latrones.

De facili oblitus primorum Turca malorum,
Queis ſæpè afflictum Señæ vicinia fecit.
Ad Grobnik (Caſtrum eſt Vinoſa in valle, ſepulchri

For-

Forma illi nomen dedit hoc & campus, in isto
Millia cæsa olim sunt quinquaginta Getarum
Señonidum dextra pro Regis Bele salute)
Quattuor excurrunt bellantum millia Thracum,
Et prædam ingentem captivæq; agmina plebis
Abducunt læti: sed nacti letha, sepulchri
Prædones. nam cùm Senæ montana tenerent
Restituunt prædam, pœnam pro crimine solvunt
Señonibus, tanta cum pernicione gravati,
Quòd paucos rediisse domum sua Turcia vidit.
Sic, etsi desint scelerato sæpè pericla,
Non deerit timor, & tandem pro crimine pœna.

1600. Restabat sæclo fors imponenda coronis,
Ut quocunque malo satiùs mea fata notentur.
Thrax Fabiam facilè expugnat sine sanguine victor,
Nam peregrinus erat Fabia Præfectus in arce,
Pro modica vita mortem vitabat honoram,
Non evasurus turpi quam ritè merebat.
Sed dolor & crimen Kanizæ majus in arce
Accidit! ista potens telis obsistere multis,
Et durare annis contra fera fulmina Thracum:
Attamen ante diem cecidit Kaniza, nec armis
Victa, nec his victuve carens, vel millite: solo
Præfecto infelix: hinc vendita turpiter auro:
Aurum exactura multo cum fęnore posthac.
Quid nunc tela juvant, quid fortia mœnia prosunt,
Si Dux præsidii timet arma, aut flectitur auro?
Si validos muros, si ferrea pectora nummi
Expugnant? Certare auro quàm sanguine, multò
Tutiùs est, sed non generosiùs. Arma geruntur
Fortibus à dextris bene, faustè bella reguntur

Excelſo fortiq; animo. Timor ipſe profectò
In bello eſt bello pejor; ſubvertit & omnes
Egregias artes, probitatem, jura fidemque
Triſtis avarities. Nunquam defendit ab hoſte
Exterus ære merens, flagrans ùt Civis amore
Innato, muros. vita illi charior ære,
Hujcque ſalus Patriæ vita pretioſior ipſa, eſt.
Sic Præſes Kanizæ armis perterritus, auro
Erectus, tantum facinus patravit: ut inde
Innumeris afflicta malis vicinia tota
Continuò gemerent amiſſæ fata Kanizæ.

PLORANTIS CROATIÆ
SAECULUM SECUNDUM.

HActenus exactis jàm centum & pluribus annis
Adverſas experta vices ſine fine gemiſco;
Tantorum mea ſors necdum contenta malorum
Ulteriùs ſerpit genti damnoſa fideli,
Igne furens, ferroque necans, crebriſque rapinis
Depopulans pagos, & capta plebe per hoſtem
Tendit in extremam Regni Populique ruinam:
Ut fato quodam perferre *atrocia* ſemper
Deberem; poſtquam ſum dicta *Croatia*, vera
Illyrici tellus, quondam Corybantia dicta.
1601. Principium cùm ſpecto novi tam ſæculi ùt anni,
Extitit infauſtum; rigidæ nam tempore brumæ,

Per-

Perque nives Turci Bihagenses usque Tohuñum
Excurrunt, pagumq; illic, quem Lestje vocamus
A corylis, raptant prædis, domibusque crematis
Abducunt homines ad dura ergastula centum.
In prædas sic more lupi grassatur anhellus
Turcus, & ex miseris parat impia regna rapinis.

Vicini damnum mea Seña ut vindicet, armis
Igneque Corbaviam punit: multosque colonos
Cædit, ad Udviniam Begum quoquè mactat Halilem
Stirpe Memimbegi: qui anno cum fratre priori
Grobnikium vastarat agrum. sic pœna scelestos
Effugiet nunquam divina vindice dextra.

Quos mihi non perimit Mavors, Mors effera tollit
E gremio natos; ne cùm mea lumina cessent
A lacrymis, assueta diu plorare suorum
Funera crebra forìs violenta domique. Georgum
Zriñiacum Comitem, Slavnorum nobile scutum,
Expertum bellis, multisque insigne trophœis
Mors rapit in tumulum. cujus pia funera mater
Non modico planxi luctu: nam plurima sæpè
Uno in Cive salus Patriæ persistere visa est.

Nuper ùt accepto Præses malè vendidit auro,
Kanizam, justis Princeps expostulat armis,
Viribus Italiæ fultus. Sed durior illa
Armato domino, quàm non fuit antè Tyranno,
Obstat, ab hoste diu contra defensa Patronum
Et Patriam, donec sævi inclementia cœli
Solvere castra pium magna cum clade coëgit
Ferdnandum Archiducem. Primus fuit iste Kaniza
Adversante mihi luctus: pluresque sequentur,
Dum redeat sub jura sui Kaniza Patroni.

Sæpè ita nescit homo, quid habet, nisi cesset habere.
Piratica infestat jam Turca licentiùs æquor,
Christiadum innumeris damnis necibusque superba
Hesperiis circùm terrorem impresserat oris.
Ne mea Seña malum pelagi patiatur inultum,
Vicinis compassa suis, armata celoces
Threïciam Adriacis navem deprendit in undis,
Bis centumque capit sex & triginta latrones,
Donata nulli vita, qui pluribus illam
Sustulerant: omnes gladio lacerante peremptos
Projicit in pelagum, cetoque canique vorandos,
Et rediit victrix prædis ditata latronum.
Ista ferens ægrè Venetus, qui jura Liburna
Atque Croata dein Adrium prætendit in æquor:
Tum quòd erat contra Señam stimulatus ab hoste
Ulcisci nequiente secùs millena suorum
Damna: latrocinii perturbatæque quietis
Accusat Regi Señenses. Hi sine culpa:
Namque nocere hosti, propriis & juribus uti,
Credebant licuisse sibi: plectuntur acerbè:
Hos etenim augustam nemo defendit ad Aulam,
Et Præsul contra Populum malè sanus agebat,
Qui pœnam infamem vivens & mortuus egit.
Præcipuos tunc Seña viros in Marte peritos
Lictoris manibus vidit periisse, celoces
In cineres abiisse; minùs quò Turca deinde
Señonios metuat terraque marique feroces.
Sed nimia in justum patientia versa furorem
Judicis extinxit duro mala cætera letho.
Tramite regali debet procedere Judex:
Non declinando in dextram, qui molliat isthic

Judi-

Judicium : ſic non in lævam, qua exaſperet illic
Supplicium. feſtina nocet ſententia Juris.
Non animo mea Seña tamen defecerat omni,
Contra hoſtem ſemper pro Rege Deoque parata
Bellare, & proprium diffundere prompta cruorem.
1602. Invadit Likam, flamma ferroque patratis
Barbaricæ genti damnis, ornata redivit
Turcorum ſpoliis, captivorumque caterva;
Militibus ſummum victo ſolamen in hoſte eſt.
1603. Infauſtus fuit iſte meis & flebilis annus,
Quo terræ fructus inſecta nociva, geluque
Et grando miſeris mortalibus eripuere.
Tattariæ fera gens, Geticæ nunc incola terræ,
Pannonicos populatur agros : vaſtata per hoſce
Magna parte ſui luget peninſula Muræ.
Ad tam longinquas excurrit barbarus oras
Prædandi cauſa, de prædis vivere ſvetus
More lupi, quem non cultus delectat agrorum.
A Turcis ſævisque Getis Peninſula Muræ
Depopulata iterum damno majore gravatur,
Et penès auriferum tellus ampliſſima Dravum
Vinicia tenus. Hi Grabſanum gente Jacobum
Brezovac inter cędunt altamque Veroçam:
Pòſt prope Kusterovac acri certamine fundunt
Keglevium Vragumque Duces. tunc Raſſiña tota
Deprædata fuit, Turcis exuſtaque flamis,
Et quingenti homines in barbara vincula ducti;
Ne, qua ſorte olim redituris tecta ſuperſint.
1604. Carlopolis (quam non pridèm Dux Carolus amni
Impoſuit Kulpæ, Carnas tueatur ut alpes
Japodiumque ſolum) conſummitur igne repenti:

Ut vix ſalvarit nudam novus incola vitam.

1605. Incrementa capit Boçkaica factio ad Hunnos:
Ipſe coronatur Turco à Vezire; ſed usque
Dravum Nemethius Turcis Geticisque catervis
Stipatus penetrat, tota regione ſubacta
Obſequio Boçkæ: flumen tranſire negavit
Nemethio Prorex & Trautmanſtorſius: ultrò
Kermend, Sabarjam, Kiſſeg & cætera quæque
Reſtituêre ſuo victores oppida Regi:
Propria Nemethium Boçkajaque culpa fugavit;
Regales donat bonitas divina coronas.

1606. Attamen Ahmetem magnũ cum Rege Rudolpho
Conciliat, pacem vicenos condit ad annos:
Ipſeque de vivis excedit præpete fato,
Juraque mox Pacis violantur: Thraxque Rudolpho
Strigoniam Hunnorum regalem ſurripit urbem:
Ut videam: quanta verbum regale decuſque
Relligione colat. verè ſimulatio pacis
Ipſis ſæpè fuit longè damnoſior armis.

Bella gerente alibi, modicùm requievimus, hoſte:
Seña tamen Venetos necdum cognovit amicos;
Hinc ea ſola fuit bellis implexa duobus,
Nec tamen infelix ideò: nam cedere nulli
Seña coacta fuit: reparabat damna ſuorum
Partibus adverſis damna, & majora, rependens.

1613. AEre merens Veneto gens Epirota triremi
Vecta meam ceu fur nocturno tempore ad oram
Appulit, inſidiata viris, qui viſere ſacram
Tyrſactenſis eò veherentur Virginis ædem,
Volari anguſtum circundat ab æquore portum,
Quo lembum incautum gens impulit impia, cunctos

Octo

Octo ſupra denos fuerant, jaculata peremit:
Et fugit ante diem: videat ne Seña ſceleſtam,
Et queat ulciſci natorum letha ſuorum,
Juraque telluris violatæ. non tamen iſtud
Chriſtiadum crimen ſuperi patientur inultum.
Quàm gravis evaſit, totoque timendus in Orbe
Turcus, ad interitum cunctorum tendere natus,
Præcipuè quicunque colunt ſacra dogmata Chriſti,
Quosque vel ipſe timet magìs, omnibus inſidiatur:
Ut ſe Chriſticolæ per mutua tela, faventes
Hoſti, conficiant, Señæ accelerentve ruinam,
Quam ſolam timet hac ſub tempeſtate tyrannus,
Impietas coramque Deo, Mundoque profectò eſt.
Impatiens mea Seña mali, juſtumque dolorem
Succedens ira, binos armata celoces
Ad Mucarum excurrit (noſtri dixere Makarſkam)
Neglectumque jubet Turcos præſtare tributum:
Fors Epirotam aut Venetam nactura carinam.
In Suc'-jurjenſem portum dum ferre tributa
Promittit Turcus, Venetis ſociatus, ab alto
Aggreditur ſævo noſtros certamine Cives.
At velut auxiliô ſemper pia numina juſtis
Succurrunt: ſic ipſa meis bino hoſte gravatis
Fortificant dextras (animus non defuit unquam)
Victricem tulerint quòd multo ſanguine palmam.
Aſt ut Volari ad portum perpeſſa ſuorum
Letha pient, nec plùs ſcelus hoc impune relinquant
Hoſtibus: Arbenſem proras vertere ſub urbem,
Aſſiliunt Venetam, quæ cuſtodiverat æquor
Contra Señonios armis inſtructa, triremem;
Captivam ducunt occiſo milite, & armis

H Nu-

Nudatam, flammis patriis sub mœnibus urunt.
Non ea me (fateor) delectat præda: cruore
Vicini satiare sitim, grave judico crimen.
At miror, tandem; quod binis urbibus hostis,
Totum penè Orbem terrens, non sufficit. hasque
Mutua in arma furor movet, at diversus. utrinque
Ingemui zelo Fidei. Sed causa malorum
Si detur pensanda bonis, sententia Seňæ
AEquior eveniet. Nam si prætensio juris
In mare spectetur prisci: mare nemo negabit
Deberi Seňæ, quoniam fuit antè Liburnum,
Illa Liburnorum patria antiquissima; sic &
Postquam est Hyrvatum sortita Liburnia nomen
Gente referta nova, censum tamen ipsa marinum
Regibus & Ducibus Patriæ mea Seňa legebat.
Nec mare Christicolis post hæc sulcare negabat;
Quin, ut idem fieret securius hisce, quiesque
Italicis oris, multis mea Seňa periclis
Hosti communi terras prohibebat & æquor.
Anne ideò: vel quòd persæpè offenderit hostem,
Vicinos tutata suos, prædasque retorsit
Immanis de fauce lupi: debebat amicos,
Religione sibi conjunctos, Seňa timere?
Sed veniet, veniet tempus: quo Turcus & ipsis
Evadet Venetis nimiùm gravis atque molestus:
Cujus amicitiæ non est quod fidat amicus.
Paulò pòst Venetam Portæ Legatus ad urbem
Venit, conquestus quamplurima damna per æquor
Facta à Seňoniis Otomannis navibus: orat,
Viribus unitis delerent funditus urbem
Tantum Threïciis infestam sortibus. unde

Na-

Naviget Illyricum pelagus ſecurus uterque.
Huc Venetis breve proſtat iter: deſertaque tellus
Thracibus haud durum præbebit; nec metuendum,
Ut quis ſuccurat tam diſſitæ ab omnibus urbi:
Nec poterit pauco jam ſola reſiſtere Cive;
Ad bellum fortuna valet, ſed viribus aucta.

Arma levant Veneti, quibus Hyllis prima petita eſt,
In mare telluris pars exporrecta, cohęrens
Japydibus: vulgo & Latiis nunc Iſtria dicta:
Ad quam Jaſonium Græci retulere triumphum;
Flanonam Albononamque tamen mea Seña tuetur:
Regna Croatorum quæ nunc reſtringit ad Arſam.

1615. Amurat belli cauſa meliore vocatus,
Propria regna magìs defendere, quàm peregrina
Quærere; Sauromatas contra Perſaſque coactus
Oppoſuiſſe fuit vires: nova fœdera pangit
Matthia cum Rege meo, valitura per annos
Viginti; cautus miſceri pluribus armis,
Quatumcumque potens; novit quia Barbarus aprum
Pluribus à canibus laceratum ſæpè fuiſſe.

Inſtabilis ſed & hæc pax nos fuit inter & hoſtem;
Nam Turcæ Krizanic' ſub turri (ubi Mriznica cancris
Nobilibus locuples, cum trutis dite Coranna
Junctus, vicini Kolapis ſubducitur undis)
Villanas cremat igne domos, ſpectante dolenter
Carlopoli. tanta Thrax relligione tenetur.

1616. Ut nil Señonibus poterant Veneta arma nocere:
Magna utramque tamen patiant mihi damna per orã:
Oppida multa cremant, pagos, villasque ruinant:
Byrſeçum, Vranam, Viti quoque Flumen, in iſto
Tarſia priſca loco ſteterat: Bakarumque, Novimque,

 Tor-

Tormentis quaſſat ferratis, ignibus urit.
Turbidus ò rerum noſtrarum & flebilis ordo,
Hoſtibus ut pax ſit, bello infeſtantur amici!
Nil majus fortuna poteſt præſtare tyranno,
Quàm turbare ſuos animis diſcordibus hoſtes.

1618. Illuſtri claro Benedictum ſtemmate Turocz,
Arte & Marte gravem, dignum qui Regna gubernet
Proregem Illyrici tandem pia fata vocarunt
Ad ſuperos. multis lacrymis ſua funera planxi,
Et tantò magè, quòd non par ſucceſſor eidem
Extiterit: quamquàm præclaro ſtemmate & ipſe,
Niclaus Comes à Panem frangentibus, ortus.
Sic bona non ſemper fructus parit arbor eosdem,
Degeneratque ſolo patrio prænobile ſemen,
Et nati à patriis nonnunquam moribus errant.

1619. Deſertas arces mediis Ottoççac in undis,
Quas Gazka & Sinnac, perlimpidus amnis uterq;,
In ſubmontano conjucti latiùs agro
Effundunt: Briñamque, ſuum quæ ſpectat agellum
Montibus accintum mediò de colle, ſuperbum
Frangipanorum quondam ſedile Regentis:
Reſtaurat fido populo mea Seña colonas:
Eminùs hoſtiles queat ut refringere vires.
Expectare domi, ſapiens non coſulit, hoſtem:
Hunc magìs in proprio nempe infeſtare juvabit.
Zriñius hoc alter Niclaus naſcitur anno,

1620. Defenſor Patriæ, propugnatorque futurus,
Fortuna, ingenio, fama virtuteque magnus
Turcorum terror, proles generoſa Georgi.

1621. Naſcitur & Petrus Niclai frater, ad arma
Non calamum natus: Proregis munus uterque
Nactus

Nactus, at infausto letho sublatus uterque.
Ut paucis notum est, nulli superabile, fatum.
1622. Istorum genitor, Niclao Tyrzaciensi
Deposito, Regni primos conscendit honores,
Ominibus faustis: vicinos namque Kanizæ
Prosternit Turcos, sexcentûm cæde cruentus;
1623. Atque iterum graviter castigat Marte Kanisam,
1624. Et Kostañiciam, multis ab utroque peremptis.
Qui Pacem frangunt, Bellorum incommoda gustent.
Invadit nunc atra meas contagio partes,
Indeploratis serpendo per oppida lethis:
Est sed quod doleam multa inter funera primum
Proregis Zriñi funus. qui fortis ad Hunnos
Pugnavit pro Rege suo, victorque triumphos
Sæpè tulit: tandem dapibus cum pace fruentem
Lethali manus extinguit scelerata veneno.
O miseros hostes, quibus hæc infamia tela
Securam præstant vitam, vel forsan honores
Confortant! paribus certet vir nobilis armis,
Strenuus ut miles; quibus uti fraude dolove
Turpe putet; docuit timidos id tristis Erynnis.
Atra fames iterum Slavnas diffusa per oras,
Funera multiplicat, miseranda plebe repleta;
Peste, fame, bello consummitur Illyris alma:
Fors delicta hominum Deus arguit hocce flagello:
Ad quæ prona magìs semper prolabitur ætas.
1629. Succedit Zriño Proregis honore Georgo
Sigmundus Comes Erdœdi, vir justus & audax,
Cujus Banatu requievit Patria: sæpè
Ipsa hostem affligens, & cæsum sæpè repellens.
At malè Zriñiacam bellavit Prorex ad arcem,

Passibus angustis præclusus; ut inde recessit
Tristis ab accepta non parva clade suorum.
Sæpiùs, ò Prorex, ita vertitur alea belli:
Contemptusq; hostis certamen sæpè cruentum
Edidit: atque brevi momento maxima Regum
Sors eversa fuit. res est adversa secundis
Permixta in mundo, & rerum mutabilis ordo est.
Vix per lustra duo Patriæ præsederat Heros,
1639. Cùm me deseruit, vita meliore beatus.
Ut res humanæ finem volvuntur ad unum:
Vitaque, qua fruimur, brevis est: mors inscia certa;
Felix, qui vivens placuit Populoque Deoque!
1641. Urbs nova in antiquis Sissî fabricata ruinis
Juxta decursum Kolapis, quam morte Quirinus
Martyr adornavit, Turco populatur ab hoste:
Sed Kostańicia captos Emricus ab urbe
Liberat Erdœdus. Kladussanosque Joannes
Draskovius Prorex cędit. Sic stamus in armis
Semper, qui colimus fines regionis, & hosti
Vicinos fortuna dedit. vigilare necesse
Civibus est, quibus ante fores ferus obstrepit hostis.
1642. Antiquam Perusic' reparat sibi Barbarus arcem,
Hinc ut Gazkensem percurrat sæpiùs agrum.
Ast expugnatam Caspar Tyrʒaçkius arcem
Destruit, atque mali causam levat inde futuri.
Principiis obstare juvat. medicamina serò,
Cùm mala per corpus magis invaluere, paramus.
1643. Invadit pagum Turcus Perjasticæ ad amnem
Dispersum domibus, nullo munimine tutum;
Objiciunt hosti fortes sua pectora Cives,
Concertantque diu numero tum forte minores,

Non

Non animo: tandem multo cum ſanguine palmam
Barbarus eripuit proſtratis Civibus. Iſthìc
Occubuit clarus Mogoric' mihi, Dokmanovic'que,
Et multi fortes Ogulino ex rure Coloni,
Attamen hoſtili ſua ſanguine buſta litarunt;
Nec palmam obtinuit victor cum cæde minori,
Quàm Cives cecidêre mei pro Patriæ amore.

1645. Supra Karlopolim vicum, de nomine Smolak,
Deprædatur, agrum Boſilenſem vaſtat, utrinque
Inſignes prædas abducit barbarus hoſtis:
Ut, cùm jàm videam ſemper majora pericla
Serpere ab hoſte mihi, Caſtrum Podbrezie vocatum
AEdifico, Clerique mei perſolvitur ære:
Publica ſunt tantis exhauſta æraria bellis.

E contra Cetinum Caſpar Tyrzackius arcem
Ereptam Turcis devaſtat: Zavale dinde
Ingentes pagos populatur: mille fideles
Ac bis centenos redimens, cum laude redivit.
Hinc Turcæ ſolidant Kremen arcem, Carlopolimq;
Noſtri. Sed Veneti, Regum ſedile meorum,
Ninum urbem veterem, Turcos metuendo furores,
Denudant muris. Sic rebus in orbe rotundo
Succeſſus varii, finiſque impendet in omnes.

Quamquàm tuta domi vix ſim qua parte: frequentes
Incurſus patiens hoſtis, jàm viribus aucti,
Cincta minis: conſtricta nimìs, tamen ultrò fidelem
Navo operam Regi ſub longo climate Mundi.
Contra Svecorum motus, turbaſque Rakocî,
Agmina natorum pro Rege merentia mitto
Niclao Duce Zriniaco; qui dexter in armis
Judicioque valens inimicos fregit utrinque.

Prin-

Principibus ſervare fidem de jure tenemur:
Principibus, decus eſt, ſervire fideliter; horum
Eſt eadem Populique ſalus. Si patria mater
Civibus eſt, Princeps eſt dignus honore paterno.
Sed ne quid fortuna domi fortaſſis omittat,
Quo poſſem doluiſſe magìs: fatalibus urbem
Juxta Zagrabiam Græcum montem ignibus urit.
Taliter ut patriis aut exulet incola terris,
Aut ex cineribus ſpecioſior illa reſurgat.

1646. Plurima præterito quamquàm Thrax miſerit anno
Agmina barbaricæ gentis, tormentaque belli
Ad Cretæ interitum, populo tamen hoſtis abundans
Altera littoribus mandat minitantia noſtris.
Hinc Argiruntum (Novigrad nunc dicimus) urbem
Interno ſinui impoſitam, ferus occupat hoſtis.
Altera pars, quinque & viginti millibus aucta,
Sicum (quod Sibenik voco jam) ducente Polono
Vezire obſeſſum gratìs oppugat: & iſthinc
Propitiis Superis magna cum clade receſſit;
Immemor; hìc etiam fruſtratos antè labores.
Tanta fames animos ad prædas urget avaros.

1647. Niclaum Zriñum Proregis munere donat
Ferdnandus Cæſar. Petrum, cum affine Georgo
Tyrʒaçki, & pulchris contra Sveca arma catervis,
Ferdnando auxilium ſatìs utile, mitto; meorum
Externis experta fides regionibus extat,
Et firmus pro Marte valor: quo vera paratur
Nobilitas, atque in natos cum ſanguine tranſit.
Damnũ ingens patitur cæleſtibus obruta limphis
Seña; ruit muri pars ex torrente recluſo
Inter murum ipſum celſumqne crepidine collem:

Q1

Quinqaginta duas vastæ ruit impetus undæ
Seňona in urbe domos, tanta cum strage, quòd ultra
Quingentos homines letho miserabili ademit:
Nec potuit rapidis enare natator ab undis
Optimus. Exoritur fragor undæ unàque ruinæ
Et populi clamor, ceu si ruat æther ab alto
In Seňæ exitium: vel jam sua terminat ætas
Longævum cum flore statum! Secùs antè putabam
Sanguineo mergi debere in flumine Seňam.
Arcanas Superum mentes, fatique secretas
Noscere quis possit causas? Divina voluntas
Libera consilio non indiget ullius. Omnes,
Quos amat, hos etiam Deus arguit. Ille malorum
Non est causa: tamen divino nec sine nutu
AErumnas patimur. Superest Deum amando timere,
Pro summa ratione statûs, & amare timendo.

1649. Ne sinat excessus Turcorum nuper inultos
Et Patriæ lacrymas Prorex novus, Izaçic' arci
Vicinos pagos & circa Klokoça, multa
Barbariæ cum cæde cremat. certamine fundit
Delibasam, centum ducens in vincula Thraces,
Bis totidem cæsis. Proregem læta saluto;
Sors bona Zriňiacam comitetur ab æthere dextram:
Ipseque nil aliud poscit; cuj mens generosa est,
Atq; animus grandis, quos excolit inclyta virtus.
Quicunq; à tenero studiis incumbit honestis
Præclarumq; optat post funera vivere nomen,
Is non curat opes cum sorte aut morte caducas,
Contentus celebri fama, qua gloria surgit.

1650, Fetter Ivanitiæ quo tempore præfuit arci,
Infestis armis Dubicam procurrit ad urbem,

Infausto eventu. centum nam colla virorum
Barbareæ liquit vectigal hic advena terræ.
Ut suam agat rem Dux belli sapienter, oportet,
Mente oculisque priùs perspexerit unde periclum,
Quodque venire potest: quàm facto evenerit ullum.
Dux, ùt Ivanitii, ne non sapuisse feratur.

1651. Komoricam Turcus, Cameram sic dico minorem,
Arcem in Slavonia, quæ Dravum prospicit amnem,
Obsidet, oppugnat vario conamine frustra:
Fortibus illa viris contrà defensa resistit.
Hinc Kostañiciam Prorex infestat, & illos
Ter sumpto vicit felix certamine Turcos.
Komoricamque novo Turcorum Marte petitam,
Puchajmus salvat. Likenses Zriñius hostes
Castigat Petrus, Kula Siroka vocato
Castello exusto, gente igni ac ense perempta.
Perpetuas inter belli sic nuto procellas,
Vicinum sortita malum: cuj ipsa libido est,
Esse malum. Virtus tamen exercetur in armis:
Otia mitescit genius Mavortius inter.

1652. Anni principio post quinquaginta secundi
Seña Equitem Paulum genuit, sat grandibus aptum
Rebus, at exiguæ fortunæ: qui mea quondam
Nomina perpetuis mandabit forsitan actis.
Ingratam Patriam tamen experietur, amicos
Instabiles, & spes vanas. namq; incidet illam
Temporis ætatem, qua decrescente valore
Illyrico quivis curabit propria, nemo
Publica: & ipse magis rebus capietur honestis
Quàm vitæ utilibus. Sic mens generosa probatur.
Ducere nam propriæ incrementa domestica laudi,

Hoc

Hoc ad lætitiam vulgarem pertinet. Omne
Fortunæ donum poſt fata relinquimus: una
Virtutum remanet pro nobis fama perennis.
Karlopoli Præſes generalis, dignus amore
Cunctorum in vivis, dignus poſt fata dolore
Cunctorum: pietate gravis Vir magnus & armis,
Wolfgangus Comes à Panem frangentibus ex hac
Migrat ad æternam fati dictamine vitam!
Mox Caſpar ſequitur ſoboles præclara parentem
Vir Bello inſignis, toties qui terruit hoſtem,
Salvavitque ſuos; toti duo funera Regno
Deploranda tuli: Cœlo duo ſydera miſi,
Felices animas; illic nunc ſede beata
Gaudent; æterna ſed & oſſa pace quieſcant.

1653. Romani auguſtum Regni vix ſumpſit honorem
Ferdnandus mihi Rex iſto jam nomine quartus,
Cum ſubito ad Regnum fato Cœleſte vocatus,
Præmonſtrante viam crinito ſydere ad aſtra,
1654. Deſeruit terras & Regna paterna, beatis
Civibus adſcitus: pulla & mærore profundo
Offuſa ingemui. Populo quàm ritè doletur
Principis egregii raptus: cùm Maxima Regno
Sit fortuna pius Princeps, generoſus & æquus.
Ad Popovic' vicum, nomen dedit hocce ſacerdos,
Cum valido pugnat Tyrzaçki Georgius hoſte,
Defenſor Patriæ, Cœloque favente triumphat.
1655. Non ita Guſſitius, qui Ottoçzaç præfuit arci,
Dimicat eventu fauſto: nam mœſta Colonos
Civibus immixtos bis centum Seña dolebat
In Turco amiſſos campo: bis poſtmodò vindex.
Et pœnas Korenica luit, direpta, cremata,

Zriñiaco à Petro. Sic nobis ſemper in armis
Stare opus eſt, dubiaſque vices cognoſcere ſortis,
Atque malum replicare malis: injuria prima
Cùm fuerit perpeſſa, novas invitat ab hoſte.

1656. Sed Præſes Turcis contra nos finibus Abram,
Vir ferus, in prædas avidus, crudelis in omnes
Qui ſanctum Chriſti devotè numen adorant,
De Pozega, Dubica, de Korbaviaque jugoſa,
Armat Barbariem pro Bello viribus aptam,
Trans Kolapim ad Karnos miſturus omnia ferro,
Flamma: jamq; agros Krizanić ſub turre tenebat:
Cùm mea Cœlicolis ad vota faventibus, hoſtis
Cæditur egregio Duce Frangapane Georgo,
Tam grandi ſtrage afflictus, quòd prælio in iſto
Bis geminos Begos, bis ſenos viderit Agas,
Turcorum prima cum nobilitate, ligatos
Karlopolim duci captivos. enſe peremptum
Beſiragitium Mahometem: & millia Thracum
Strata jacere in agro Krizanici, turpiter ipſe
Effugio celeri vitam ſalvavit amaram.
Incidit in prædam prædator ſæpè cruentam:
Inconſtansque ſuos Fortunæ numen alumnos
Sæpiùs eludit vana ſpe: noveris Abra.

1657. Flere novas occulta vices mihi fata dedere;
Ferdnandus Pius Imperium ſua Regnaque Cæſar
Deſerit, ad Superum felix conſortia migrat,
Imperium nato Regi hæredique relinquens,
Hoc me ſolatus, quo poſthac Principe recta
Experiar meliora Deo fortaſſe favente.
Quiſquis enim mitis precibus, pietatis abundans,
Et pœnæ parcus Princeps, eſt optimus idem.

Gens

Gens inimica mihi, nunquam ſatiata rapinis,
Ad miſerum Byrlog tum re cum nomine pagum,
Nam luſtrum dici deberet voce Latina,
Excurrit Paſſa duce ſenis millibus aucta:
Non tamen optatum ſucceſſum nacta: meorum
Ter centum juvenum depulſa valore redivit:
Atq; ita virtuti vires ceſſere triumphum.
Vt tamen hoſtiles pœnis gravioribus auſus
Corrigat illuſtris Prorex; vicina Novenſi
Caſtro, Militibus prædam facit oppida primùm,
Pòſt ea Vulcano vovet. Indulgentia nunquam
Hoſti danda. malo libertas applicat alas.

1658. Ut vacuos Patriæ repleat Tyrzaçkius agros,
Antiquos Uſoræ Lika ex regione colonos
Ducit, & in Señæ montanis collocat. Illinc
Vavkupiam Janko Xegeranin diripit urbem:
Delicioſa hæc eſt Boſnenſis manſio Paſſæ:
Affligitque hoſtem, memoranda clade, ſequentem.
Sed paulò pòſt ipſe trahens ter dena virorum
Millia Paſſa Novim capit urbem, diripit omnes
Vlahiæ pagos montana marina colentis.
Crimen ob unius patitur ſic ſæpiùs alter.

1659. Vicinum Kolapi Turcæ invaſere Kamenſko:
Nunc miſer eſt vicus, quondàm fuit urbs opulenta:
Aſt auſus charô nimiùm ſolvere nefandos,
Namque dato fluvium turbarunt ſanguine Tribñam
Ut Kolapis ſtupuiſſet aquas haurire rubentes.
Pars cæſa occubuit, pars vinclis ducta triumphum
Karlopoli, Superis ultrò clementibus, auxit.
Turpior haud præda eſt, haud præda ſceleſtior ulla,
Quàm de pauperibus prædoni facta ſuperbo.

Ad duras trahitur tandem mea Savia pœnas:
Septem annis proprii ſpernens mandata Patroni:
Ferro ignique luit, prædata hoſtiliter. Omne
Servitium durum: domino ſervire ſevero,
Durius omninò; libertas aurea verè eſt.
Sed quia ſic voluit fato fortuna potenti:
Alter ſit ſervus, liber dominusque ſit alter:
Cùm natura modo naſci dedit omnibus uno:
Cedendum fato & fortunæ juribus eſto.

1661. Gazka novo pariter frendit commota tumultu.
Eferus hìc populus, vinoque inſanior hauſto,
Præſidis in mortem conſpirat, perficit ingens
Crimen: quod nati patratum aliquando dolebunt.
Ebrietas mater ſævi eſt inſana furoris.

Præfuerat Petrus Señenſi Zriñius urbi,
1663. Cùm Romaniæ Præſes Csengitius, omni
Bellorum felix in tempeſtate, coactis
Innumeris Thracum ſignis, & gente perita
Bellandi, pagum Señæ quem nomino Byrlog,
In cineres acturus adit. Gazkenſia jamque
Militiæ major pars condeſcendit in arva,
Cùm noſtram à tergo pubem, pars altera fronte,
Excipit: unde prior funeſtam Martis arenam
Nacta, cadaveribus vaſtos exanguibus agros
Opplet cæſa: ſuo fugit altera cum Duce. Captus
Paſſæ illic frater Beg, captus Jañiçar Aga,
Præcipuique viri capti, vel ab enſe perempti:
Sultani, hos inter, quatuor periere nepotes;
Tota diu gemet hunc Otomannica natio caſum.

Cauſa novus vicus, ſub Byrlog arce vetuſta
Conſitus, extiterat tantæ ſat congrua cladis,

Non

Non ob opes, quia plebs & iners, & parvo in agello,
Vitam ægrè ducens ex pane & lacte caprarum;
Sed locus ille viam Turcis prædonibus aptam,
Ad Karnas, Histrasque plagas, præcludit: ùt antè
Hinc prævasta illi Señæ deserta patebant.
Sic Csengitiacæ fortunæ splendor ab ipso
Culmine in occasum raptus. Qui subdidit urbes
Magnificas, gentes compescuit ense feroces,
Ad miserum vicum fracto ense manuque, salutem
Extremæ vitæ fugiendo turpiter ambit:
Seña & Karlopoli doctus, cognoscere; sortis
Humanæ non perpetuò durare favores,
Momentoque brevi commiscier intima summis.

Sic consternatis Señæ in confinibus armis
Threciis Petro Duce Zriño: frater eodem
1664. Pòst socio Prorex pontes comburit Oseki,
Devastatque Cios campos, nunc Jugovo pole
Dico: urbem Peçuj direptam incendit, & arces
Brizniciam Fabiamque capit. Sic nempe deinde
Præsciso Turcis trans Dravi flumina passu
Liberet Ungariam, petiturus Thracas ab isthinc.
Egrgii pia vota Ducis placuere Monarchæ
Augusto: primàm jubet oppugnare Kanizam.
Jamque capi poterat, si non discordia primos
Turbasset damnosa Duces. quòd non modò gratìs
Oppugnata fuit Kaniza, sed ultrò remissa
Hostibus arx Novi-Zriñ sine sanguine: quando perire
Prompta Kaniza fuit. Novi-Zrin fundaverat arcem
In terra hostili Prorex, ut abinde retundat
Kanizæ vires, salvato flumine Dravi.
Quantos magnanimo versabat corde dolores

Indig-

Indignè amiſſi Novi-Zrinî nobilis auctor:
Quando ſua vidit vexilla hoſtilia in arce,
Quæ jam jam captiva ſuum præcedere currum
Debuerant, auctura pios tibi, Chriſte, triumphos!
Tantum Belliducum peperit diſcordia damnum!
Non ſatur hac præda, magìs at temerarius audet
Paulò pòſt Sſtiros invadere Barbarus agros.
Cænoſum Arrabonem valido jàm ponte jugarat,
Pictaq; in adverſa poſuit tentoria ripa.
Vix Rakenſpurgum, vix Gracia tuta fuiſſet,
Nì Deus immenſos fregiſſet maximus auſus,
Hoſtilemque ſitim gladius ſedaſſet & unda.
Non tamen abſque mei plaga; Nam prima ſtrategum
Rajkovium objeci hoſti cum bis mille Croatis.
Fortiter aggreſſa hoſtiles mea turba phalanges
Turbavit, fregitque aciem certamine primam
Præduro, fundens pulchram cum ſanguine vitam.
Sic decuit pugnaſſe viros pro Rege, Fideque,
Sic pro vicini decuit cecidiſſe ſalute,
Illyricam pubem: ſic patrum exempla ſequendo
Nunc ſimul in Cœlo gaudet ſortita coronam.
At novus invadit materna hæc pectora mœror,
Infandusque dolor contorquet viſcera; Prorex
Magnus ab immani laceratur Zriñius apro,
Heroamque animam ſupero tranſmittit Olympo,
Corporis exuvias mihi de pietate relinquens,
Ne toto ſe orbam, videatur, deſerviſſe
Dilectam Patriam. Prò rerum fata mearum!
Floribus in Vernis mea ſpes evertitur. Iſto
Sperabam patrias reparare aliquando ruinas
Principe, prudenti, fortunatoque, pioque.

Seri-

Serius in Bello foris, atq; in Pace serenus
Extitit ille domi: metuendus ùt hostibus ipse,
Ipse suis charus. Cecidit meus inclytus Heros,
Et Pater & columen Patriæ: quem semper ab hoste
Victorem excepi reducem, plaudente per Orbem
Cuncto Christiadum populo: nunc dente perempti
Immanis beluæ, Turco plaudente Getaque,
Christiadæ mecum deflent lacrymabile funus.
Magnorum, fato quondam, mi Bane, virorum
Tristior interitus solet esse; in pace quiesce.

Marte peremptô ab apro, nova pax vulgatur: ùt ille
Depositis armis potiùs requiescere tandem
1665. Maluit in Cœlis. Fratris post fata Ducatum
Obtinuit Petrus, pejore sed omine clausit:
Ut finit malè, qui finem non perspicit antè.

Tunc Varasdinam consumit Mulciber urbem
Vicinam Dravo, nomen cuj Bela peponum
A dono tribuit. regio fuit antè vocata
Jasia. Sic mutat mores & nomina rerum,
Tempus edax: utinam non in pejora ferantur.

1667. Post hæc telluris miro concussa tremore
Alta Ragusa cadit (nostro sermone Dubrovnik)
Unica in Adriaco Slavorum urbs libera ponto:
Kottorq; (Ascrivium quondàm) vicinaque circùm
Oppida: cum tanto Cœli pelagique stupore,
Quòd fuerit densis obtectum nubibus illud,
Hoc à littoribus bullitu ingente recessit.

1670. Non modò magnanimas faciunt torpescere mentes
Otia, quin rerum sunt maxima cavsa novarum.
Magna fit in toto rerum mutatio Regno,
Postea quàm galeam gladiumque reponere Prorex

Juſſus erat: ſuaſu quorundam Mercuriorum,
Competit auguſtos viventis Regis honores.
Ad ſcelus hocce Ducem, belli ſudoribus aptum,
Moviſſet nunquam genii privata cupido,
Ni conſors animoſa virum illexiſſet amicum,
Conſiliis ſenſum properè tribuiſſe malignis.
1671. Pro quo punitus gladio, documenta reliquit,
Diſcere juſtitiam monitos, nec temnere divos,
Diſtribuique ſacras cœleſti ſorte Coronas.
Fine pari (par crimen erat) Tyrʒaçki perivit
Chriſtophorus, Stirpis de Fracto pane potentis
Ultimus infelix hæres; quem grata bearat
Ingenio natura virum, damnavit ad aras
Immoderatus amor dominandi. *Magna dolorum*
Vis mihi corrodit maternum pectus. Utrumque
Perdurare valens & inexpugnabile ſcutum,
Sperabam, Patriæ. Tantum nocuere maligna
Conſilia à pravis vicinis edita. Semper
Callida conſilia ad primum ſunt læta: deinde
Tractatu dura: eventu ſed triſtia tandem.
Conſilioque virum devincit fœmina pravo.
Hunc quoquè conſultrix flevit vicinia caſum,
Et pœna graviore quidèm, ceu criminis auctor.
Majeſtas Regum tam ſacroſancta profectò eſt,
Quòd nec in ſævo labe ſit factanda Tyranno.
1672. Corrupta inſectis variis & vermibus aura,
In foliis fruges terræ conſumpſit & herbis,
Efficiens latè miſeros plorare colonos.
1674. Urbs Montis Græci & Zagrabæ pars maxima ſubtus,
Igne novo in cineres tanto redit impetu, ut intra
Florentes ædes & triſtia rudera tantùm

Quat-

Quattuor intererant horæ. Fortuna ruinas
Accelerat, multis quas non restaurat in annis.
1678. Augustus Cæsar generosa prole beatur,
Cuj nomen Joseph. felicem Numina servent
Hæredem patrii sceptri, Patremque suorum
Regnorum; qui olim lacrymas abstergere nostras
Possit, & amissum faustè reparare decorem.
Felici semper felix est Patria Rege.
1679. Señoniis armis nimìs infestata frequenter
Urbs Nova Likensis, promisso sponte tributo
Supplex à Seña pacem petit. ista cruoris
Hostilis sitibunda magìs quàm pacis & auri,
Bis centum mittit per rura Novensia natos,
Qui non servata prudentis lege strategi,
Turbato vastos discurrunt ordine campos;
Pars abigit prædam, pars Castrorum ostia pulsat,
Illaque jàm choreas Noviensi ducit in agro,
Plus nimio secura sui, securaque prædæ.
Sed postqam Turci per classica multa citati
Accurrunt, patriam tecturi jure salutem,
Plùs decuplo numero superantes colla meorum,
Confundunt juvenes, facili certamine prædam
Eripiunt. Deus & virtus meliora dederunt
Fata tamen, quamquàm confusis; corpora namque
Non nisi ter septem reperi cervice minuta,
Bis quatuor captos: triginta cadavera Thracum
In patrio jacuere solo. tam mitis in illos
Pacis amator erat Deus. Exaudire decebat
Supplicium mea Seña preces, pacemque petenti,
Quantumvìs hosti, pacem indulsisse juvabat.
1680. Ad finem lustrum post Zriñî fata secundum

Vergebat: quando ſeptrum Banale gerendum
Regaleſque vices capit Erdœodius, ipſe
Proregum ſoboles, conſtans fideique probatæ
In Patriam & Regem, viſurus magna revolvi
Tempora ſub paucis annis, aliamque figuram
Multarum rerum. Mentis ſic ordo ſupernæ eſt;
Tempora quòd deſint aliis, aliique ſuperſint
Temporibus. ceu fert, pariter rapit, omnia tempus.

1681, Sopronii (priùs urbs fuit hæc Scarabantia dicta)
Conventus Regni ſummus celebratur. in illo
Eleonorę humeris Auguſtæ ſacra Corona
Imponitur, toto ter fauſta precante Senatu.
Tœkelius contrà Regni movet arma paræcus,
Ungaricæ plebis Dux, Turco milite fultus
Feleki validum caſtrum capit: occupat urbem
1682. Kaſſoviam forti, circumque jacentia ſubdit
Oppida plura, manu: maternaque viſcera ferro
Scrutatur, facibus patrias hoſtilibus ædes
1683. Urit: Regali à Turcis vulgatus honore.
Ipſeque Turcorum Rex, Pacis conditione
Rupta, grande movet bellum, celſamque Viennam,
Cæſaream ſedem, violentis obſidet armis,
Oppugnatque ferus, ditiſſimaq; oppida & ædes
Auſtriadum flammis fœdat; ſed numine fauſto
Perſolvit pœnas: afflictus cæde frequenti,
1684. Amittit Slavna mediam in tellure Veroçam:
1686. Excelſam, multo defenſam ſanguine Budam,
Regalis ſolii quondam ſplendore coruſcam,
Milleque per vaſtam pagos atque oppida terram
Pannonidum Dacumque ſoli, quos ſaparat Iſter.
1687. Ludvici cladem Mukaçino Cæſar in argro

Vindi-

Vindicat insigni Turcorum cæde solutam.
Undique Cæsareos auget Fortuna triumphos,
Quos inter Joseph sacrum diadema tenello
Imposuit capiti. maturè ferre paterni
Discat honoris onus: regali munere felix
Subjectos Populos, ut amore, timore gubernet.
Non etenim ob leges possunt felicia dici
Regna bonas, provisa bono nisi Principe vivant.
1688. Ossekum vacuum, passum concedit in amne
Dravano: duro Belgradum marte subactum
Victrices aquilas recipit; vetus inde Samandris
Debuit augustis collum submittere signis:
Nissa olim celebris, gaudens quoquè Rege Vidinum
Bulgariæ: Pirot Albanæ nobile castrum
Gentis, ad obsequium divi rediere Monarchæ.
Hinc Pozegam capimus peramæno rure superbam,
Valdani mediis nantem Kostajnicam in undis,
Zriñque situ validũ, Novium, Dubicamque: deinde
Ad flumen Savi validum Brod atque Gradiskam,
Egregiaq; olim defensum laude Sigetum.
Ut justis Deus est semper clementior armis.
Tum, postquam Joseph Comes Herberstajnius ar-
Aequoreis Præses fudisset sæpius hostem (mis
In pelago, in campo victor, Venetisque dedisset
Captivum castrum, Tvyrtkone à Rege locatum
Rizonio sinui, Castelli quod bene nomen
Servat adusque Novi, viridi stans nempe vetusta,
Ad sua Karlopolis Señæque gubernia versus
1689. Expugnat Likensis agri Castella, propinquæ
Korbaviæque caput Castrum, vocat Udviña vulgus:
Et postliminiò Comitatum reddit utrumque

Juribus antiquis Patriæ justiſſimus Heros.
Tunc in Zriniacos Saro Thrax impius agros
Agminibus multis effuſus cuncta rapinis,
Igne, colonorum populatur tecta novorum.
Sed celeri accurſu Saro Chehaja meorum
Cæſus, proſtratus, Valdani pulſus in amnem
Sanguineum fecit, vinctas dedit ipſeque palmas,
Vindice Draſkovio: quanquam bis ſena fuere
Millia Turcorum, ſexcenti fortè meorum;
Non hominum in numero, ſed robore militis acris,
Inque bona conſtat felix victoria cauſa.
At quàm ſit fallax Mundi fortuna, videbit
Ultima labentis ſæcli ex ſucceſſibus ætas.
Reſtituit Turcis validam Fortuna Pirotum,
Niſſam, dinde Vidin, multo quoquè ſanguine partum
Belgradum: & quicquid telluris terminat Iſter
Syrbliacæ, quondàm fuit hæc Triballia dicta.
Hinc verò excurrit Dubicenſem Turcus ad arcem
Occidens centum ſexagintaque meorum
Hatitiumque ducem Mavortia in arte peritum.
Ludit in humanis Sors procaciſſima rebus,
Quod dat, idem tollit: ſine lege, ſine ordine: verè
Inconſtans, vagum, ſemperq; erratile numen,
Quod nec virtutem nec cauſam reſpicit æquam.
1691. Peſte laboro domi, pejor foris impetit hoſtis;
Illa homines miti letho necat; iſte cruento
Marte premit. Novium non multo tempore captum,
Ad Sanæ influxum, violentis occupat armis
1692. Barbarus. Hinc Dubicam bino ſub Præſide cingit,
Suggeſtusque facit telluris, ab unde ſequenti
Ignivomis quatiat ſub luce draconibus arcem.

Non

Non prævisa mali nostros occasio terret,
Trans flumen vix tutus homo est: angustaque paucos
Arx capit: & socii procul absunt. Dij meliora
Consilio suasere meo: dum nocte sub illa
Ingentes tulit aura nives, sparsusque meorum
Adventûs rumor dissolvi castra coëgit,
Et vacuus præda sic prædo recessit ab arce.

Jam quoquè Karlopolim privatis ignibus ustam
Mulciber in cineres redigit: vix mœnia restant,
Hostiles fractura minas; brevis hora cremavit
Multorum spolia annorum: dum Savus inundat
Zagrabios latè, solitoque frequentior, agros,
Kuppa suas retrahit Koranna; ab ignibus undas.
Vt quæ conveniunt in eodem patria Regno
Dissimilem penitus patiantur flumina sortem.

Nupernos Thracum Makar ut puniat ausus,
Cædit Alajbegum Ferhatem: Banaleque pratum
In fluvio Vyrbas opulentam diripit urbem:
Pondere sed nimio prædarum miles onustus,
Ad sua qui nequiit vexilla redire citatus,
Cum præda, vita est vel libertate minutus.
Sub veteri Majdane novos impingo dolores
Bis centum amissis, ausis conscendere vallos
Gente phalisque loci muniti fortiter; audax
Imperspecta ruit persæpè in funera miles;
Sic causat lucri modici spes maxima damna.

1693. Tristius Hranilovic' lecto cum milite versùs
Mutniciam confecit iter, fidendo priori
Fortunæ juvenis: quanquàm vitare periclum
Vel monitus potuit: nimiis tamen ausibus actus
Incidit insidias, in quejs nec tela nec ausus

Jàm

Jàm valuere viris. Cecidit dux ipſe peremptus
Hoſtili gladio: ſocii cecidere perempti,
Vel capti miſeram ducunt in carcere vitam.
Dexteritas prima eſt natorum ad caſtra virorum,
Noſſe hoſtes, & noſſe ſuos. non fidere ſemper
Fortunæ dubiæ. prudenter, non temerè auſis
Se comitem fortuna ſolet præbere faventem.
Dum ſic membrorum contemplor mœſta dolores
A capite nivadit dolor intima pectora ſummo;
Niclaus Prorex, Comes Erdœodius, annis
Non tantum àc curis conſumptus, deſerit orbam
Se Patre me Patriam: quo tempore prorſus egena
Magnificis genio ſimul & ſplendor e Parœcis
Vix tenuem conſervo ſtatum, nec Cive beata,
Qui tantum munus juſta gravitate gubernet,
Et placeat Regi, Patriæ dum proſit amanti:
Quem metuant hoſtes, & ametur Civibus idem.
Tanta, heu! me miſeram rerum proſternit egeſtas,
Tam gravis in me jam fatorum volvitur ordo,
Ut, qua Duces aliis & Reges mittere terris,
Eximiis natis olim fœcunda, valebam,
Nunc extra Patriam mihi Dux Prorexque legendus!
Omnia ad interitum propero jam vergere paſſu
Cernimus; interitus effœta Croatia metam
Aſſequitur. Sic ſunt & res & Regna caduca!
Mittit ab Ungaria Banum mihi Cæſar Adamum
Battjani Comitem, cujus virtute Kaniža,
Albaque Regalis, pòſt Agria concidit. ipſe
Majdanum expugnat fauſtis ſucceſſibus æneum,
Et mæſtos prima ſolatur ſorte Croatos;
Fauſtum principium felix fortuna ſequatur;

Tu

Tu Bane esto Peter Patriæ, tu consule cunctis.
1694. Sed turbata novo mox ingemuisse dolore
Debui Alexandri deplorans funera magni
Præsulis, Ecclesiam qui rexit Zagrabiensem
Insignis, prudens, felix Antistes, amansque
Ipse Pater Patriæ, dignus quem purpura sacra
Vestisset, pietate gravem cùm stemmate clarum.
Viribus atq; annis florentem Parca peremit:
Ne quod solamen, vel spem fortasse relinquat
Afflictæ Patriæ. Privat vitalibus auris
Insignem Petrum de Prassno agnomine clarum,
Romano virtute parem, mors atra, Catoni;
Quo magîs observem, varias decurrere sortes
Per quas magna solet fieri mutatio rerum:
Et tum præcipuè, magnorum quando virorum
Occasum patitur quæ Patria, aliunde severis
Ictibus adversæ fortunæ saucia; qualem
Experior me læsa diu. Non inclyta virtus,
Fortuna at fallax re predominatur in omni.
Amissam nuper, gratìs Dux Croius Albam
Sylbliacam oppugnat: gratìs quoq; Thrax Varadinū
A tellure & aqua tormentat; uterque recedit;
Sed Thrax cum damno multo majore suorum;
1695. Quod tamen ut reparet Sultanus, trajicit Istrum,
Perduro fundit Veteranum Marte Strategum,
Insignem Heroëm, venerandum laude perenni.
Martyr hic egregius præclara morte reliquit
Exemplum reliquis belli ductoribus, omni
AEvo servandum: quo nempe valore fideque
Pro patria, pro Rege, Deo, vel proprio honore
Certandum? Apparet tum Dux, cùm miles in armis,

Quantum quisque valet. Verbis contendere laudem
Eſt animi levioris opus. Certamine in illo
Syrbíorum ducens Antonius agmina, natus
Gente mea, clarus bello crebriſque triumphis,
Occubuit fortis. decuit ſic nempè fidelem
Magnanimumque virum patrio ſubſcribere amori.
Hoc uno major fortunâ eſt inclyta virtus,
Quòd duret conſtans & poſt ſua funera vivat.
Graçanicam Prorex infeſto Marte fatigat
In Boſſnæ tellure ſitam. niſi capta fideli
Præſidio poſt hac Savum tueatur ab hoſte,
Aut æquetur humo, nocituram ritè putabat.
Sed mala ſors juſto Ducis adverſata labori
Imbribus aſſiduis torrentes undique cogit,
Oppletoq; undis prohibet perſiſtere campo.
Sic hoſti exitium, Bano victoriam, ademit.
Likenſes contrà ter eodem Barbarus anno
Thrax invadit agros, totieſque repellitur illinc,
Exceſſûs pœnis non parva clade ſolutis;
Infauſta adverſo fiunt conamina Cœlo.
Attamen ad cunctos de ſorte & hoſte labores
Immitis fortuna mihi ſperare quietem
In patrio negat ultrò ſolo. Petriña meorum
Et capta & ſemper defenſa, à Thracibus, armis,
Aſpernans patriæ regionis jura, tumultu
Inſurgit, nova jura ſibi prætendit ad Unnam,
In ſua ſollicitans Vlahos deſcendere vota,
Spe libertatis, regimenq; odiſſe Croatum;
Ipſa licet nuper ſalvavi ex carcere Turco,
Pane alui, gladio defendi, mobile vulgus.
Hæc animos auget diſcordia Thracibus iſti

Per

Per mala noſtra bonam norunt ſibi creſcere ſortem;
1696. Qui cùm vi nequeunt, privatis artibus ignes
Supponunt illinc in Brod, iſthincq; Kaproncam;
Brodque die vicibus ſeptenis arſerat uno:
Quadraginta domos paſſa eſt periiſſe Kapronca;
Sit dolus an virtus, tanto quis in hoſte requirat?
Ad Turcos Vranograç (Zriñorum nobile caſtrũ,
Garrula cuj cornix nomen dedit) arte nefanda
Mox redit. ipſa etenim Thraces ſervaverat in ſe,
Pollicitos undis baptiſmi velle lavari:
Qui tandem ad vomitum rediere; meoſque minores
Se numero ejiciunt. Flammis Theodora crematur
Deſeriturque nimìs properè; quam Xivko minutus
1697. Collo perſolvit culpam. Sic aſpera ſemper
In miſeros lex eſt: peccant impunè potentes.
Nupernæ immemores cædis graviumque malorũ
1698. Zriniacos ferro populantur & ignibus agros
Indomiti Thraces: Nova munimenta feroci
Aſſultu ſuperare petunt: ſed martia virtus
Makari tuita eſt, quæ paulò erexerat ante.
Non ſat defendunt obſeſſos mœnia Cives,
Non foſſæ aut valli, ſed fortia brachia animique:
Hi validas manibus vires certantibus addunt,
Pectoreumque facit validiſſima mœnia robur:
Mœnia nempè viri, non hæc ſeſe ipſa, tuentur.
Interno commota malo tum Seña laborat,
Ante fores jàm ſigna videns, minitantia cædes;
Nec juvat, iratum precibus mulcere Strategum:
Nec licet, aſſumptis contrà procedere telis;
Vicinos videt eſſe ſuos, primumque Strategum;
Vim tamen inferri ſibi non ſinit. O Deus alme,

Auguste ò Cæsar, quid vobis Seña fidelis
Peccavit? Vel quid nobis vicini & amici,
Quòd proprium curat duro medicamine vulnus?
Si Deus, aut si Rex populi quæ crimina punit:
AEquo animo feret illa; Dei Regisque scelestos
Est punire homines. At vos vicini & amici,
Pro quorum durè vigilaverat illa quiete:
Pro quorum, hostili redimenda è fauce, salute
Sæpiùs exposuit propriam cum sanguine vitam,
Funera tot perpessa lubens captivaque ducta
Grandia persolvit victori lytra tyranno:
Ejus in interitum ruitis? Prò cernite causam,
E medioque mali factores tollite; quorum
Auri dira fames cunctos deglubere Cives
Tendens, nupernos causavit in urbe tumultus;
Ne pereat pars tota boni pro parte maligna.
Hej! quò te tua fata trahunt, mea Seña: perire
Insidiis es digna tuis? ubi candor avitus?
Prisca fides, & amor ubi nunc ò Seña? tuæne
Degenerant proles, patriam meditando ruinam?
Non aliis verè est perituræ opus hostibus urbi,
Si Cives hostes habeat. discordia summus
Civibus est hostis, patriæque ruina salutis.
Consilio, pietate, armis Respublica floret,
Et quævis privata domus concrescit: in imam
Plurima dissidiis abierunt Regna ruinam.

1699. Ipsa mali tellus horret præsaga futuri,
Mirando totum quassata tremore per annum;
Quo motu permultæ ædes & templa fatiscunt,
Arx Ozaĩ fatale malum de nomine sensit.
Sol quoquè, cùm nitidi propè jàm tenuisset olympi
Cul-

Culmen, deliquium passus fuit. ista Deorum
Consiliis portenta sino moderanda benignis:
Quæ tamen infaustum quidquam fuit antè secutum;
Præsentit Superûm tellus & Cynthius iram.
Tandem postremo sæcli cum fine secundi
Sperabam finem sortiri posse malorum,
Et rebus fortasse frui cum pace secundis:
Quo magis afflictus damnato Marte, quietem
Cæsaris augusta Turcus poscebat ab Aula,
Et demum obtinuit: præfixa Karlovic' arce
Sirmiaci ruris, qua fit congressus utrinque
Ut conscribantur pacis nova jura. Sed illic,
Me sine, tractatum de me fuit. Immemor hostis
Nupernæ ærumnæ supremorumque malorum,
Postulat, insolitam victis prætendere, partem
A victore suo: commiscendoque locorum
Nomina cum fluviis, nullis bene prodita chartis
Hactenus, externis nec cognita gentibus. Ille
Importunus enim, solitis & fraudibus usus,
Quo minùs illa sinat, quæ separat Unna futurus
Limes, prætendit veteris sub nomine Castri
Munimenta novi, nostræ quæ consita ripæ
Sustinuere vices varias, semperque repulsus
Thrax durante fuit nuperni tempore belli;
Cuj, si des digitum, palmā manicamque prehendet.
Venit ad has ideò Leopoldo à Cæsare missus
Marsilius partes, metiri corpora terræ
Doctus Eques: posito ad Popinas in colle trifini,
Pro triplici Imperio, servata conditione
Pannoniæ Regi ulteriùs sua jura petendi.
Marsilius Turcusque redit Legatus ad Unnam,

Congressus adeunt longo sermone frequentes!
Dum binis tandem superato mensibus anno
Afflicta sat plebe malis, mea reddere demum
1700. Jussa fui victis loca telluremque feracem
Hostibus: et, quod plus, nova demolire meorum
Præsidia; ut posthac reparato viribus hosti
Tutior invadendi aditus mea regna pateret.
Tradimus hinc turrim, prope Castaneapolis arcem,
Arcentem transire humiles ibi fluminis undas.
Pòst arcem Dubicam, Comitatûs inclyta sedes
Extitit hæc olim. Jesenovac dinde, vetustum
Sempçejæ stirpis quondàm sedile, locatum
Unna ubi Savanis placidè submergitur undis.
Ad celebrem quondàm descendo mæsta Gradiscam:
Jamque casas illic ter centum struxerat hostis
Præsidis indulto, contrà nova Castra tuentis,
Alveo in angusto medius quæ separat amnis.
Inde Doboj celsam Berislavi stemmatis arcem,
Præsidio privat nostro, Turcoque restaurat.
Tunc Brod in ripa Savani forte fluenti
AEquat humo. Savo trajecto, Sirmia rura
Ad Salsam petram penitus mihi demit, & illa
Barbarico imperio reddit. Sic transiit Istrum,
Ut fœcunda novis arctetur Dacia metis.
Tam fuit Odrysiæ Pax isthæc prospera genti,
Sed malè fausta meis: ut quæ victricibus armis
Cæsareis attrita fugam meditata per omnem
Europam, sedes Asiæ petitura vetustas,
Jam jam cessisset, fortunæ afflata recenti
Oestro, deposito mœrore petulca superbit.
Lætum animum dat sors bona, vires erigit ille.

Quàm

Quàm ferus irrupit tunc in mea pectora mæror,
Quàm mea fundebant lacrymas tunc lumina amaras,
Cùm mea ſpectabam vexilla excedere Caſtris,
Et, patulas Thraci venturo liquere portas,
Egregiam pubem: quæ vitam prompta fuiſſet
Antè dediſſe hoſti, & totum fudiſſe cruorem!
Aſt utinam memor ille mali, cladumque priorum,
Exorata ſacræ non ſpernat commoda Pacis
Antè diem, genio ſolitus peccare ſuperbo;
Ocyùs haud qviſquam toto mortalium in Orbe
Erigit afflictam mentem, graviumque malorum
Immemor effringit tranquillæ vincula pacis
Quàm gens Turca; animo cognata ſuperbia Turco eſt.
Aut ideò mea ſors, minùs ut proviſa relinquar
Ad bellum fortaſſe novum: vel, ne mihi quenquam
Commemoratorem ſineret ſupereſſe malorum
Pro Patria actorum, natis documenta daturum,
Principio pacis cum ſæcli fine peremit
Makarum inſignem pietate & marte Strategum:
Qui cùm pro Patria, pro Rege, occumbere in armis
Non potuit; Regis celſam requievit ad Aulam.
Taliter ille fidem Domino teſtatus, in axe
AEtherio nactus meritis ſua prœmia gaudet.
In vita labor eſt: donat mors una quietem.
Haud forti metuenda viro: ſit dummodo honeſta.
Turbida triſtitiæ me vis moleſque fatigat,
Dum nimiis vexata malis vel membra fatiſcunt,
Vel conflictatur gravibus mens obſita curis,
Ut jam deficiant ſenſim de corpore vires;
Quid ventura mihi ſpondent ſolaminis æva,
Quidve mali potiùs volvunt? hoc mente ſuperna

Con-

Conditur arcanum. pectus moerore tenetur,
Vixque aliquid sperare sinit fortuna, vel ipsa
Conditio rerum. Fallax fortuna profectò est:
Sæpiùs insperata solent contingere, quàm quæ
Sperentur. Properum minitantur sæcula casum
A capite eversis rebus. Mors atra Paræcos
Sustulit è medio fortes: non visitat unquam
Me Rex, & Prorex raró. primaria condat
Lumina si Cœlum, terram nox obteget omnem,
Cunctaque confundent tenebris. rectore carina
Vel clavo privata suo, jactatur in alto,
Donec vi venti sævisque impulsa procellis
Rumpitur illisa ad scopulos, compage soluta,
Mercesque & nautas sinit ultrò voracibus undis.
Sic variant sortes. ego sortibus area certa
Prisca aliquo videor mutasse Insignia fato:
Lunam nempè Jovi conjunctam, prorsus in albas
Areolas rubeïs commixtas, projiciendis
Aleolis factam quasi pro lusore tabellam.
Sic etiam fato quodam, non sponte profectò,
Moribus à priscis patriam deflectere gentem,
Cerno. Senes raso gaudent incedere mento,
Fœmineïs simili; cùm quondàm summa virilis
Extiterit barbæ reverentia. Jamque juventus
Insultat senibus; magnum scelus antè putabant,
Si cano juvenis non assurexerit. Alget
Nunc pietas, & justus amor: rarissima verè
Communis sacra cura boni. grassatur ubique
Lis exosa Diis: &, habendi, sęva cupido,
Per fas atque nefas. fratri vix frater amatur:
Vixque, cui tutò fidas, reperitur Amicus.

Nunc

Nunc genus & virtus vileſcunt; dives honores
Accumulat: quocunque modo diteſcere fas eſt;
Criminibus pœnæ, meritis ſua prœmia, deſunt;
In melius nunquam morum mutatio tranſit.
Poſtremò metuam, ne ſit fatalis & error
Scriptorum Sclavi, pro Slavi, nominis: unde
Nobilis, eveniat cum tempore, natio, ſclava:
Viderit & miſerum cùm quis, putet eſſe Croatam!
Nulli etenim bona magna manent diuturna: cuique
Imponunt ſub ſole rei ſua tempora finem.
Antè ego, quàm ſævis fortunæ mota procellis
Cœpiſſem noviſſe malum, præſagia ſortis
Adverſæ timida ſenſi colludere mente,
Exclamans; Væ orbi! venient cùm tempora; quando
Jura dabunt juvenes imberbes, commoda quæſtu
Magnates quærent, contendet lite Sacerdos.
Hæc à non multo prognoſtica tempore vera
Cernimus eſſe nimìs. Prò tempora triſtia! mores
Perverſi! genti mœſtiſſima fata Croatæ!
Fata adverſa queror, duræq; incommoda ſortis,
Et nimiùm duræ: quæ non molleſcere poſſunt
Singultu, gemitu, lacrymis· niſi ſummus ab aſtris
Molliat illa Deus. Fatum quia novimus eſſe,
Quod Deus eſt fatus de quovis. Præter at omnem
Spem Fortuna venit: nutu ſed & ipſa ſuperno;
In cunctis rebus mortalis ut invocet unum
Præſidium à Superis. cùm ſcilicet optima ſtatûs,
Semper amare Deum, ratio eſt, ſemperque timere.
VOS ergo Superi, rapido qui ſydera motu
Perpetuò immenſos facitis diſcurrere gyros,
Et media terram nullo fulcimine in aura

Siſtitis. A vobis capiunt animantia vitam
Cuncta: nihilq; agitur veſtra ſine ſponte per omnem
Tellurem & Mundum; veſtrum ſtant Regna caduntq;
Ad nutum; afflictam vultu clemente Croatim
Reſpicite: ærumniſque meis jàm ponite finem.
Si quo (mortalis quia ſum) vos crimine læſi,
Parcite: de veſtraque mei mifereſcite lege,
Ut Dij: ùtque Patres, mifereſcite amore paterno.
Non eluctari fatis conceditis hiſce,
Ipſa nec obluctor: quia vos immittitis illa,
Vos regitis. Vis nulla mihi ſine numine veſtro
De reliquò ſupereſt. Vitam ſortemque dediſtis
Veſtra ſponte mihi; vitam ſortemque juvate;
Ne meus exultet, fuero ſi mota, inimicus:
Cùm tamen in vobis clementibus unica ſemper
Spes erat, atque fides conſtans mihi. Veſtra benignũ,
O Dij! ò Patres! convertat gratia vultum
In populũ veſtrum, veſtramque Croatiam. Adeſte;
Et tranquilla, precor, date tempora: Vos meliora
Edite fata mihi: ſanas in corpore vires
Atq; animo; mentemque bonam inſpirate benigni.
Vos in læta meum convertite gaudia luctum;
Ut grates vobis recinam per jubila: ut in me
VESTRARUM LAUDUM NULLO
SIT TEMPORE

FINIS.

AD COMITEM MARSILIUM,
CAESAREUM LEGATUM.

POst tot Bellorum motus fauſtoſque triumphos,
In nova cum Turcis oſcula Pacis eo.
Atq; ut majori jungi videamur amore,
Propria cedo illi, te mediante, loca.
Dura mihi (fateor) ſunt oſcula, ceſſio dura:
Rarus amor nimìs hic, inſolituſque modus.
Antè nec à victa me extorſerat oſcula Turcus:
Oſcula nec victi fida fuere mihi.
Oſcula dilectis mea ſervabantur amicis:
Nam, ſcelus eſt, hoſti proſtituiſſe ſacrum.
Cedere non didici patrias ſine ſanguine terras:
Maxima conditio ſemper in enſe fuit.
Sed quia ſic voluit Deus, & Rex mandat: utrique
Paret, Amice vides, obſequioſa fides.
Scilicet in Cœlis cùm regnet Jupiter almus:
In terris Cæſar jura ſuprema tenet.
Tanta pii tamen eſt clementia Cæſaris; hoſti
Ut victo vitam victor opesque ſinat.
Hinc noſcat, ſi qua, Thrax, religione tenetur,
Quicquid habet, debet Cæſari id omne meo.
At ne poſteritas, hoc me feciſſe timore,
Aut facili quadam de ratione, putet:
Tu mihi teſtis eris; quo robore polleo, quaque
Mente: mihi quòd Thrax non metuendus erat.
Noſti etenim populum fortem ſimul atque fidelem:
Hoſti & amicitiæ pro ratione datum.
Tot loca, tot terras, medium propè cedere regnum:
Res proprio fratri cedere dura foret.

Namq; aliunde meos, undis obnoxia & auris
Damnosis, natos parva coarctat humus.
Das hosti Turrim sub Castaneapoli aquosa:
Non doleo; Turca est ædificata manu.
Dubiciam cedis, famosi nominis arcem:
Et Jesenovacii lignea castra loci.
Hæc mihi cor aliquo tangunt, Ferdnande, dolore:
Hìc mea sunt summo sacra peracta Deo.
Nec me tanta movet concessæ cura Gradiscæ:
Apparent veteris vix ibi signa loci.
Pinguia Sirmiaci didicerunt oppida ruris
Adversas omnì tempore ferre vices.
Ast utinam contentus iis Novioque sit hostis,
Dreznikio & Popinis, quæ colit ille novò:
Et servet metas, tecum quas fixit Efendi:
Non tanti facerem: his usa carere diu.
Non sinet ambitio contentum (crede) tyrannum
Hisce locis: poscet plura deinde sibi.
Ut Deus & Cæsar clemens vult, omnia fiant.
Majus ab hinc cedat, crescat, utrique decus.
Si tamen hac aliquid sperandum Pace supersit:
Quam vix condicto tempore stare putem:
Opto; ut Jajcensis claves tibi præbeat arcis,
Paulò pòst Bello, Turcia, victa novo.
Ut; qui nunc Regnum dirimis nos inter & hostem:
Lauderis; totum restituisse mihi.
Vade bonîs avibûs: rediturus sic aliquando,
Ut reddas Bossnam & Sirmia rura mihi.
Et quem Rama priùs captum captiva tenebat,
Reddatur Regi libera Rama suo.
Ut facili humanæ variantur tempore sortes:
Sorte dein venias cum meliore. Vale.

AD

AD AUTHOREM LIBRI,

exprimentis Plorantem Croatiam,

Magnificum D. D. L. B. PAULUM RITTER, Equitem Auratum, S. C. Regiæque Majestatis Aulicum Consiliarium.

PETRUS CHERNKOVICH, El. Episc. Bosnen. Præpositus S Petri de Posega, Canon. Zagrabien. Prothonot. Apost.

RITTER Eques mæstum renovasti Paule dolorem,
Dum plangis Patriam, deflet & ipsa suos.
His binis sæclis ò quantos perdidit illa,
Qui pro se pugnent, pignora chara, Duces.
Amissos deflens Heroes gaudet, amantes,
Claros & fortes, tot se habuisse viros.
Pressa fuit crebrò, nunquam suppressa remansit
Tota; Deo, Regi Patria fida stetit.
Stabit adhuc semper constans, generosior indè,
Hunc librum quando pignora chara legent,
Quem tu fecisti, Patriæ commotus amore:
Exemplum, speculum posteritatis erit.
Naso poëta tibi cedat qui se gemit, & flet:
Esto Virgilius qui memor es Patriæ.
Et quia pro Patria scribis tu digna, laboras
Non minùs, ipsa tibi præmia debet, Eques.
Plurima scripsisti, liber hic superasse videtur
Omnia; pro Patria scribito plura, Vale.

ZagrabIæ eX æDe proprIa XXVIII. *SepteMbrIs, sVb festo* VenCesLaI.

AD EUNDEM.

VOs ò Pierides, suaves de fontibus edens
Concentus pennata cohors, & blandula Siren,

Orpheus è ſylvis: & vos à carmine clari,
Quos jactant Vrbes, quos Orbis, adeſte Poëtæ
Carminibus, querulisque ſonis conflete Maroni
Illyrico, chara Patriæ qui ſæcula priſca
Commemorans, plorans, & triſtia fata recenſens
Fecit opus magnum, magni quod teſtis amoris
In Patriam, pro qua quàm plurima ſcripſit & egit
PAULUS EQUES, quem Cæſar amat, multæq; Coronæ
Europæ norunt: Auratus jure vocatus
Aurea de cujus promanant ore fluenta,
Queîs per diverſas Patriæ laus difluit oras
Et Gentis nomen generoſum redgitur. Ergo
I bone quò tua Te virtus vocat, i pede fauſto
I quò raptat amor Patriæ, quò gloria Gentis:
Scribito pernicies, clades, lætosque triumphos
Priſcorum Patrum, generoſæ pande Juventæ
Iſtis inſiſtat, cùm creſcet vindicet illas.
Et ſic in terris tua facta ſequentur Honores,
In cælis pariter capies poſt fata favores.

FRANCISCUS JOSEPH. VERNITS,
Abb. S. Catharinæ de ZelenGrad
& Canonicus Zagrabienſis.

DE AUTHORE LIBRI HUIUS,
ILLUSTRISSIMO D. D. PAULO RITTER, EQUITE

Aurato Sac. Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Conſiliario, nec non Comitatuum Likæ & Corbaviæ Vice-Comiti dignisſimo, Dño Dño mihi plurimum recolendo &c.

EXcipe cum grato generoſa Croatia plauſu
Quod tibi deponit pignus amoris Eques.
Hunc tibi fata virum ſuperis tribuere benignis,
Civis hic eſt Patriæ, rite aliquando Pater.

Quam

Quam tua sub tenebris jacuissent facta profundis:
Auxiliatricem ni daret ille manum.
Erigit is lapsam, nutrit, solatur, & idem
Prisca exempla refert, atque futura docet.
Scriptarum testes sunt vasta volumina rerum:
Queîs ornata magis dinde vigere queas.
Ardua pro Patria quæcunque subire paratum,
Tunc opera cùm animo nemo negare potest.
Nuper ad Augusti pellectus Cæsaris Aulam:
Naufragæ erat Patriæ quærere perpes opem.
De qua non modicos Patria tulit ille favores:
Ut bonus hanc juvit filius, utque Pater.
Res est laude potens patriæ sucurrere tristi,
Verus in adversis nempe probatur amor.
Namque amor in Patriam quosuis transcendit amores:
Qui vir amat Patriam, dignus amore vir est.
Is flagrat in Patriam rapido quia totus amore,
Inque ipsum pariter Patria tota flagret.
Sic per scripta potest vates super athera ferri
Et fama in terris laudeque in axe frui.
Vivat hic in terris valeat vir dignus amore:
Donec ab hinc celsus vivit & axe poli.

Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt
Hic labor, hoc opus est, quod facit altus amor

Obſequij & gratitudinis ergò occinebat
FRANCISCUS KRALLY Nob. Croata,

AMI-

AMICE LECTOR.

Irrepſerunt huic editioni typographici aliquot errores, quos benevolè corrige.

Pagina.	*verſu.*	*locò*	*lege.*
8.	6.	Ozlenſem	Ozlenſem, mox
22.	17.	Ferdinandus	Ferdnandus.
	penult.	poſterruent	proſternunt
28.	3.	Maximiliano	Maxmiliano
	27.	Tarra	Terra
35.	28.	fauſtè	ſed fauſtè
44.	20.	Anderas	Andreas
48.	30.	quæſi	quaſi
71.	11	Threciis	Threiciis
76.	1.	ſeptrum	ſceptrum
	penult.	ſaparat	ſeparat
80.	9.	nivadit	invadit
81,	1.	Peter	Pater
	19	predominatur	prædominatur
84.	2.	nobis	vobis
88.	26.	aſſurexerit	aſſurrexerit
	Item in quibusdam exemplaribus.		
17.	30.	audicia	audacia
42.	3.	barbaricam	barbaricas

et ſi quæ alia occurrant.